VITT. EMANUELE

by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 B
31

12-30, a, 14

Carlini — 3 — 10

~~[illegible]~~


IO. V. V.
RELFENDSO
HEROMONTANUS
DE
SVMĀ PRINCIPUM
GERMANICORUM
POTESTATE.
1669

Digitized by Google

JO. V. V. RELFENDSO HEROMONTANUS

DE

SUMMA PRINCIPUM GERMANICORUM POTESTATE.

Ubi

De Regimine Principatuum Germanicorum, ut & juribus Statuum Provincialium plurima, incidenter verò de Statu Imperii Germanici ex fundamentis Hiſtorico-Politicis noviſſimè nonnulla diſſerit.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Cornel. Nepos *in Epam. cap. V. §. 4.*

Si Principes Græciæ (GERMANIÆ) *eſſe vultis; Caſtris eſt vobis utendum, non palæſtrâ.*

ANNO M DC LXIX.

Pertinet ad Bibliothecam S. Franci Tranofybenim 1716.

JANUS, THOMAS HENRIETTUS S. R. I. E.

Nobili atq; Clariſſimo Domino Autori
S. P. D.

QUi poteſtatem, quâ gaudent noſtri Romano-Germanici Imperii Principes hactenus in Scriptis dilàtatam aſſeruêre, non unum eundemque finem ſibi habuerunt propoſitum. Quidam enim impulſi forſitan perceptis beneficiis ea, quæ per veritatem dicere poterant, adeò blandienti circumdedere involucro, ut vile & abjectum aſſentationis vitium in omnibus expreſsè reperire licuerit. Alii, iidemque non vulgaris exiſtimationis Viri, potiùs ex metu prudenti, quàm quòd ipſi verè ita ſentirent, Principùm Germanorum potentiam tuiti ſunt, quo ſcilicet hanc Gentem, libertatis aliàs ſtudioſiſſimam, intra terminos con-

tinerent, ac quoſcunque gliſcentes conatus ſeditioſos in herba, quod ajunt, ſuccideret. Longè Tibi diverſa ab his, *Nobilis RELFENDSO*, mens, longè alia præſentem Tractatum publici juris faciendi ratio. Tu non per anfractus adulationis ad Principum obrepere gratiam ſatagis: Præterquam enim quòd hoc ſervilis eſſet character animi, aliam longè Tibi patefecit viam, virtutum quæ in te hoſpitatur caterva. Neque ſubditos eorum quaſi narcoticâ potione ſoporare contendis: Hoc enim uti ſupervacaneum foret, ita ab inſtituto Tuo alieniſſimum eſt. Sed potiùs Te, *Chariſſime Amice*, impulit ipſa veritas, eamque defendendi glorioſus conatus. Cùm enim ingenioſiſſimus, & citra dubium Illuſtris ille Vir, qui fictô nomine Severinus de Monzambano dici voluit, nuperrimè detectâ omni larvâ, quamvis diverſis è principiis demonſtrârit, eminentiam ac faſtigium Majeſtaticum noſtrorum Sereniſſimorum

morum Principum ſecundùm hodierna tempora eſſe tàm ſublime quàm quòd maximè; ideò Tu *Clariſſime* RELFENDSO, ſummam mereris laudem, quòd in præſenti periculum facis, quomodo ex Ariſtotelis ac Grotianis dogmatibus Majeſtas noſtrorum Principum defendi, iiſdemque ſuperſtrui poſſit. Nimirùm progredi ſemel in publicum quaſi ſuo jure à Te poſcebat indefeſſus ac ſemper adhibitus labor: Per quem non ſolùm in celeberioribus Germaniæ Academiis hactenus ſat clarus exſtitiſti: Sed etiam ſummum in utroque jure gradum in juvenibus adhuc annis laudabiliter Tibi paráſti. Imò, eo incitante aliis, iiſque quàm plurimis facem in ſtudiis per tot egregia ad univerſum fermè Jus, ac omnem ſublimiorem Philoſophiam Collegia, adeò fideliſſimè prætuliſti, ut ſibi de tàm fideli ac verè erudito Doctore gratulari neceſſum habuerint. Hi

fructus ſunt, quos ex conſervatione multorum excellentiſſimorum Virorum, fauſto omine nunc metis ac colligis. Non habeo igitur quod addam, quàm quòd exultantis, gratulantis, ac benè Tibi, *Amice Candidiſſime*, cupientis animi publicè faciam hoc ipſo ſacrificium. Probè enim memor hactenus vixi infucatæ ac ſinceræ, quæ mihi Tecum in Academiis interceſſit, amicitiæ, ejuſque memoriam ad dies vitæ ſacroſanctam penes me manſuram liberrimè ſpondeo. Ac quemadmodnm in alios, qui me puro ac incorrupto proſecuti ſunt affectu, non conſeneſcet amor meus: *Quos inter honoris causâ memorare placet in præſenti conſummatiſſimum Dominum Johannem Jacobum Bertlinium, ICtum ac Patricium Aulæ cujuſdam Principalis: Nec non Michaëlem Heymeranum, incomparabilem illum Ratisponenſem* : Ita tu quoque, *Amice optime*, ſemper experieris me Tui amantem donec vitali fruar aurâ. Vale. Dabam Ubiopoli die 27. Martii 1668.

INDEX CAPITUM.

Caput I.

De notâ eſſentiali Statuum Imperii, nec non genuinâ inter Civitatem, Principatum & Imperium differentiâ. pag. 1

Caput II.

De Majeſtate ejuſque juribus. 8

Caput III.

De juribus Majeſtatis Principum Germaniæ, in ſpecie de jure Belli & Pacis Principibus Germaniæ competente. 21

Caput IV.

De poteſtate ferendi leges, quomodo Principibus Germaniæ competat. 29

Caput V.

De juribus Epiſcopalibus, Principibus ſecularibus, Proteſtantibus & Reformatis competentibus. 36.

Caput VI.

De poteſtate ordinandi ea, quæ faciunt ad rerum ſufficientiam, quatenus Principibus Germaniæ competat 59

Caput VIII.

De Conſtitutione Magiſtratuum Principibus Ger-

Caput VIII.

De poteſtate ordinandi ea, quæ ad rem judiciariam ſpectant, Principibus Germanicis competente. 80

Caput IX.

De jure tribuendorum præmiorum pœnarumque imponendarum, Principibus Germanicis competente. 87

Caput X.

De Ærario Principum German. nec non variis illud augendi & conſervandi mediis 93

Caput XI.

Ubi concluditur, ſingulos Germaniæ Principes habere Majeſtatem. 112

Caput XII.

Ubi de origine modernorum Principatuum ex fundamentis Hiſtoricis diſſeritur. 116

Caput XIII.

De forma Imperii Germanici. 127

Caput XIV.

De numero Principatuum Germanicorum, eorumque forma, & in iiſdem, Statuum, uti vocantur Provincialium juribus ac privilegiis. 135

Mono-

Monotriade favente!

PROOEMIUM.

S*Anctum àc cœlitùs demiſſum Majeſtatis nomen eſt, eoque poſt Deum immortalem nihil in Republicâ, aliiſque Societatibus civitate majoribus excogitari poteſt majus ac excelſius. Locus claſſicus eſt in Bibliis Sacris apud Paulum Apoſtolum* in Epiſt. ad Rom. 13. 1. Omnis anima, *inquit*, poteſtatibus eminentibus ſubjecta eſto. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo: At quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ. *Id quod nec Gentiles ignoráſſe videntur, qui Majeſtatem, fingendo eam Honoris & Reverentiæ filiam, pro Dea quadam habuere, cujus pulcherrima deſcriptio extat apud Ovidium* in lib. 5. Faſtorum. *Unde quo ſanctior, quoque reliquis rebus mundanis præſtantior eſt Majeſtas, eò majori curâ natura ejus penſiculanda, ne forſitan eam attribuamus cuidam, cui minimè attribuenda, aut denegemus, cui minimè denegenda venit. Quod vitium quibuſdam,* non dicam omnibus, *ſeculi noſtri Politicis familiare quidem eſt, aſt maxime deteſtandum. Sanè perlegendo non ſine nauſea ac indignatione quædam Juris publici Germanici ſcripta, in iis omnem Majeſtatem Imperatori Romano attributam Statibus vero Imperii, imo aliorum populorum Regibus, nihil vel parum ſaltem relictum vidi. Loquebantur ſanè illorum Autores, plerique de Ducibus, Principibus ac Comitibus Imperii noſtri non aliter, ac ſi in antiquâ illâ & dudum ad cineres redactâ Republicâ Romana viverent, ipſiſque de maximè ſuſpecta Præfecti Juridico, Alexandriæ aut alterius cujuſdam Præſidis Provinciæ poteſtate ſolennis eſſet habenda oratio.*

Quidam craſſiùs longe errantes, Status Imperii ad ſubditorum gregem detrudere conabantur. Certe an hic, illorum virorum ſummam rerum Germanicarum imperitiam ac propudioſam ſcientiæ Politicæ ignorantiam;

rantiam ; an affectuum vehementiam accuſare liceat animi pendeo. Quicquid ſit, doctrina hæc noxia eſt eſt Principibus noſtris, & cui obex ponatur omnium, qui hodie Statuum Imperii nomine ſalutantur, ſalus exigit. Nec defuere hactenus decora, verique amantia ingenia, quæ peſtiferam hanc doctrinam eruditiſſimis oſtendere ſcriptis adlaborarunt: Qui verò Statuum Imperii Majeſtatem, proprie ita dictam, aſſeruerit, eorumque ex debitis fundamentis jura deduxerit Majeſtatica, neminem hactenus me vidiſſe lubens fateor. Prodiit quidem ſuperiori anno Severinus de Monzambano, Vir quiſquis fuerit doctiſſimus, qui, licet, Principum Germanorum poteſtatem laudabiliter à ſuperſtitioſis 4. Monarchiarum Conditoribus vindicaverit, proprie tamen ita dictam Majeſtatem expreſſe iis attribuere auſus non eſt.

Calamum itaque, totùm licet aliis negotiis implicatum, ante paucos dies ſumſi, & brevem hunc diſcurſum, nulli fortaſſis ob argumenti præſtantiam ingratum, tumultuario concinnavi labore, inque eo Statuum Imperii Majeſtatem, Majeſtati Regum Angliæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, &c. non diſſimilem, imò Principes Germanicos plus poſſe in ſuis territoriis, quàm ullus horum in ſuo regno, aſſumtis fundamentis Politico-Hiſtoricis demonſtra vi. Tu, Lector Benevole, prudenter judica, meiſque conatibus fave:

CAPUT

CAPUT I.

De notâ eſſentiali Statuum Imperii, nec non genuinâ inter Civitatem, Principatum & Imperium differentiâ.

UT Majeſtas ſtatuum Imperii omnibus ad oculum uſque pateat, præmittendum (1.) quid ſit Status Imperii: Deinde ex fundamentis Politicis de differentia inter Civitatem, Principatum & Imperium; poſteà de Majeſtate, ejuſque juribus pauca quædam in genere erunt differenda. Hæc omnia, cum à pleriſque Politicis non ſatis accuratè expoſita; imò quædam planè neglecta ſint, cœpit in dubium vocari non tantùm Majeſtas Statuum Imperii; ſed & ignorari cœpit natura & forma Imperii Germanici. Certè doctiſſimus Monzambano *de Stat. Imper. Germ. cap.* 6. §. 9. Germaniam eſſe irregulare aliquod corpus, & monſtro ſimile, ſiquidem ad regulas ſcientiæ exigatur, liberrimè profeſſus eſt, de quo infrà cap. 12. Vocamus autem cum egregio Juriſconſulto Gailio *in lib.* 1. *Obſerv.* 21. *n.* 2. Status Imperii eos, qui Cæſaris & commu-

ni procerum, ſeu conſtatuum Imperii conſenſu in album ſeu matriculam recepti, votumque ad ſeſſionem in comitiis habent. Falſum verò eſt, quod quidam, aliàs minimè vulgaris eruditionis docent, per Status propriè hîc intelligi eos, quos Ariſtoteles *lib.* 3. *Polit. c.* 1. Cives nominat. Nec cum noſtri Imperii ſtatibus comparari poſſunt Senatores Regni Suecici, Danici vel Polonici, &c. His quidem definitio Civis Ariſtoteléâ rectiùs applicari poſſet: Noſtris verò Statibus non niſi valdè impropriè, ſeu analogicè, reſpectu ſcilicet Imperii, cujus partes & membra ſunt. Nam is propriè loquendo Civis eſt, qui in aliquâ Civitate, *à qua valdè differt Imperium*, particeps eſt Senatus, Magiſtratuum & Judiciorum, prout hoc latiùs deducit Ariſtoteles *citato loco.*

Ad differentiam verò inter Civitatem, Principatum & Imperium ſeu Gentium quarundam ac populorum ſocietatem eò meliùs cognoſcendam, naturam Societatum, earumque differentiam præmittere conducit. Definitur Societas à Philoſophis, quod ſit unum quoddam ex multis ad eundem finem tendentibus hominibus compoſitum. Societatum verò ſumma diviſio eſt, quòd ſint vel naturales, vel poſitivæ, ſeu ex inſtituto hominum pendentes. Naturales voco eas, ad quas ineundas homines à Natura trahuntur: Poſitivas, quas homines pro ſuo arbitrio, nullo appetitu naturali tracti ineunt. Cùm

verò

verò quælibet Societates naturâ tendant ad quoddam bonum ; bonorum autẽm varia ſint Genera, ad quæ obtinenda diverſæ & peculiares in homine requiruntur operationes: Hinc neceſſe eſt, ut naturalium Societatum quoque diverſa oriantur genera. Adde Ariſtotel. *lib.* 1. *Polit. c.* 1. 2. 3. & 4. Videtur autem Ariſtoteles ſex ſaltem conſtituere Societatum naturalium genera, interque ea primum locum tribuit Conjugali, ſecundum Paternæ, utpote quæ ex conjugali fluit, tertium Herili. Ex his verò, tanquam ſimplicibus, dicit componi tres alias: (1.) Domum ex domibus (2.) Pagum; ex multis pagis verò (3.) Civitatem, eamque *cit. cap.* 2. ita definit; Quòd ſit Societas ex pluribus pagis compoſita, omnis penè ſufficientiæ finem habens, exiſtens quidem vivendi, permanens autem benè vivendi gratiâ. Quâ definitione poſitâ, non poteſt non verum eſſe, quod Ariſtoteles d. l. demonſtrat; civitatem inter omnes Societates naturales eſſe perfectiſſimam; etiamſi huic ſententiæ non levia opponi poſſint dubia, quæ videri poſſunt apud Nobiliſs. Dn. Johan. à Felde. *in Comment. lib. Polit. Ariſtotelis, d. l.* Eſt verò inter ipſas Civitates quoque non levis differentia: Nam ſicuti apud Jureconſultos quædam perſonæ dicuntur eſſe ſui juris, quædam alieno juri ſubjectæ. Ita apud Politicos duplicis generis reperiuntur Civitates, quarum quædam ſui juris ſunt, quædam alieno juri ſub-

jectæ. Priores dicuntur Liberæ Civitates, qualis olim tempore Conſulum Roma fuit. Hodiè verò præ reliquis conſpicua eſt illa ſemper virgo Venetorum Civitas. Poſterioris generis ſunt illæ, quas Romano jure municipales, juxta modernum ſtylum Curiæ verò, Provinciales, **Land-oder Fürſten-Städte/** vocamus.

His ita ſtantibus, à Civitate non poteſt non eſſe diverſus Principatus, utpote qui eſt Conſociatio multarum Civitatum alieno juri ſubjectarum. Quarum differentia licet in ſcholis Politicorum hodiè non tradatur, Ariſtoteli tamen non fuit incognita, ceu patet *ex lib. 5. Polit. c. 10. edit. Conring.* Οὐ γίγνονται δ᾽ ἔτι βασιλεῖαι νῦν, ἀλλ᾽ ἄν περ γίγνωνται, μοναρχίαι καὶ τυραννίδες μᾶλλον. *Non conſtituuntur autem ampliùs regna hâc ætate, ſed cùm extiterint, Principatus potiùs ac Tyrannides ſunt.* Eaque differentia ne noſtrum aut Ariſtotelis figmentum videatur, demonſtrabimus eandem hoc Syllogiſmo: Quæcunque Societates habent diverſum ſubjectum, & diverſum Finem, illæ naturaliter ſeu eſſentialiter differunt. Atqui Civitas & Principatus ſunt Societates diverſum Subjectum & diverſum habentes finem. Ergò. Majorem communis Politicorum dogmaticorum approbat conſenſus. Minor facili negotio probatur. Subjectum enim Civitatis ſunt plures pagi: Aſt Subjectum Principatus ſunt plures Civitates Provinciales. Finis Civitatis

eſt

eſt rerum omnium ſufficientia, cum exercitio virtutum tàm moralium, quàm intellectualium conjuncta. Finis verò Principatus eſt potentia ſeu latum dominium: Huc enim omnes Principatus collimare, inductione cum Ariſtotele inſtitutâ facilè patebit. Sunt autem Principatus iterum duplices. Quidam ſunt Meri, quidam Mixti. Meros Principatus voco eos, in quibus uni Principi abſoluta poteſtas in omnes tanquam provinciales competit. Qualis Principatus eſt Turcicus, Perſicus & pleraque illa, quæ in Aſia & Africa reperiuntur regimina. Apud nos Europæos in talem principatum merum degeneraſſe videtur Regnum Galliæ, cujus fundamenta jecit Glorioſæ memoriæ Rex Ludovicus XIII. eaque ſtabilivit ſuus in Regno Succeſſor filius Ludovicus XIV. Princeps ad gloriam ac Regni ſui immortale decus, omnium verò Principum Europæorum natus terrorem. Principatus mixtos voco eos, qui conſtant ex Principatu & Republicâ, hoc eſt, quando unus quidem imperat omnibus, cum poteſtate tamen reſtricta ſeu limitata. Reſpublica autem conjuncta Principatui vel ineſt Civitati cuidam, vel nulli ineſt Civitati, quod quomodo fiat, infrà per exempla declarabo: Nec intereſt ad poteſtatem Regis limitandam & reſtringendam, an homines conſtituentes Rempublicam unà in urbe, vel ſparſim extra urbem habitent: Utriuſque generis Principatus exempla nobis neque antiquæ denegant

 hiſt o-

hiſtoriæ. Et quidem prioris Principatus mixti exemplum nobis à tempore Julii Cæſaris uſque ad tempora Conſtantini Magni præbere poteſt Roma: Nam Senatus Romanus, in quo poſita erat Reſpublica Civitatis Romanæ, unà *licet poſtea in ſpeciem ſaltem* imperabat. Aſt tempore Conſtantini Magni, qui Imperium Romanum in Orientale & Occidentale diviſit, Romam reliquis municipalibus æquiparavit Civitatibus, Italiamque *callido planè ac ut hodie loquimur ſtatiſtico conſilio* cæteris Provinciis annumeravit, redditus eſt Principatus merus. Quicquid enim tum temporis Principi placebat, legis vim habebat, ut hiſtoriæ illorum temporum luculenter comprobant. Mixtos autem Principatus poſterioris generis adhuc hodie in Europa plures habemus. Sic Suecia, Dania, Polonia, &c. ſunt Principatus, quibus admixtæ ſunt Reſpublicæ abſque civitatibus tamen regni capitibus: Nam omnes hi Principatus Principis & Procerum Regni, *qui Rempublicam & imaginariam quandam Civitatem repræſentant*, reguntur conſilio, nec ille abſque his, nec hi abſque illo in regimine ordinare & conſtituere valent quicquam. Sueciæ enim Rex leges conditurus vel abrogaturus, deſuper Procerum ſeu Senatorum Regni conſenſum implorare debet: ſimili modo comparatum eſt cum Rege Poloniæ, qui nec bellum cuiquam indicere, aut fœdus pangere poteſt inconſultis Regni ſui Proceribus.

ribus. Quomodo itaque Principatus à Civitate differat, ni fallor ſatis conſtat.

Sicut autem Principatus differt à Civitate, ita non poteſt non differre Imperium ſeu Gentium Societas à Principatu & Civitate. Imperium enim eſt Conſociatio multarum liberarum Civitatum ut & Principatuum. Quam conſociationem etiam quidam Politici fœdus appellare ſolent: Neſcio an ſatis accuratè. Et diffiteri quamvis non poſſim, inter fœdera & Imperia maximam eſſe affinitatem, non tamen nullum inter ea, accuratiùs horum naturas rimanti, eſſe diſcrimen apparebit. Nam in fœderibus ne ſimulacrum quidem aut umbram Reipublicæ deprehendere licet, uti hoc experientia, optima civilis prudentiæ Magiſtra, teſtatum ſatis facere poteſt. Vidimus enim in nupero bello Germanico tricennali arctiſſimum inter Gallos & Suecos fuiſſe fœdus, inter eos tamen communem Senatum, Magiſtratus ac communia Judicia, & per conſequens ſimulacrum, ut ita loquar, ſeu imaginem Reipublicæ fuiſſe, nullam hiſtoriæ mentionem faciunt. Aſt in Imperiis ſeu Gentium Societatibus manifeſta licet Rerumpublicarum deprehendere veſtigia, uti elegans exemplum hiſtoria antiqua nobis exhibet in Societate Achaicâ. Illa enim tam arctô vinculô fuit combinata, ut Polybio id ſolum reliquum eſſe fuerit viſum, quòd civitates iſtæ non eorundem mœnium ambitu clauderentur. Vi-

deatur Ubbo Emmius in egregio libro; cui titulum fecit: *Vetus Græcia.* Huic Societati hodiè ſimile videtur fœderatum Belgium & Helvetia: Nam hæ horum populorum Societates, nec Civitates, nec Principatus, *accuratè & juxta principia Ariſtotelica loquendo,* dici poſſunt. Tam arctam etiam multis de rebus, pactis & conventionibus inter ſe conſtituerunt ſocietatem, ut illæ vulgaris fœderis terminos excedere, & aliquid è ſocietate civili trahere meritò videantur. Et hactenus etiam de differentia inter Civitatem, Principatum & Imperium dixiſſe ſufficiat.

CAPUT II.

De Majeſtate ejuſque juribus.

HIs ita ex ſana Philoſophia præmiſſis, de Majeſtate, quid ſit, & quid ſub ambitu ſuo complectatur, nunc dicam. Omnes in univerſum fatentur, Majeſtatem eſſe poteſtatem regendi civitatem ſeu Rempublicam, licet id plurimi aliis quibuſdam & nonnunquam minùs convenientibus exprimant verbis. Benè verò an malè ita definiatur, videbimus. Certum Axioma eſt: In omni toto ex pluribus compoſito debere eſſe ordinem parendi & imperandi, prout hoc more ſuo ſummus Philoſophus Ariſtoteles inductione multarum rerum compoſitarum firmat

mat in *lib.* 1. *Polit. c.* 4. Ex quo axiomate neceſſariò infertur: In Societate quoque quæ eſt unum quoddam ex multis compoſitum debere obtinere ordinem parendi & imperandi: Quo ſtante non poteſt non ſequi; in omni quoque civitate, *eſt enim ſocietas*, debere obtinere hunc ordinem parendi & imperandi, prout hoc latiùs deductum legere eſt apud modò laudatum Ariſtotelem *lib.* 3. *Polit.* Quis autem imperare, quis parere debeat, univerſaliter ob diverſa populorum ingenia determinari nequit: Sed an unus, an unô plures, iique vel virtuoſi vel divites vel nobiles: An omnes, pauperes etiam & plebei, *intellige per vices: Nam ut omnes ſimul eôdem tempore imperent, eſt impoſſibile*, imperare debeant, id ex genio populi cujuſque, cui Reſpublica applicanda venit; colligendum eſſe admirandô judiciô docuit idem Ariſtoteles *dicto lib.* 3. *Polit. cap. ult.* Interea certum eſt & extra omnem dubitationis aleam poſitum principium: Omnes imperantes, in omnibus in univerſum Societatibus debere poteſtatem habere, quò cogere poſſint eos, qui ſubſunt, ad officium ſuum faciendum. Inductione res fiat clarior. In Societate Paterna, pater tanquam perſona imperans habet poteſtatem cogendi liberos ad faciendum officium, quam poteſtatem Romani ICti Patriam vocare ſolent poteſtatem. In Societate herili Dominus, ſeu perſona imperans, poteſtatem habet cogendi ſervos ad

faciendum officium: Quam Romani ICti dominicam vocant poteſtatem. Simili igitur modo imperantes in civitate debent habere poteſtatem cogendi cives ad faciendum officium. Quæ poteſtas commodè dici poteſt civilis, & cùm nullius niſi Dei poteſtati ſubſit, rectè Politicis vocatur Poteſtas ſumma, ſeu, ut alii loquuntur, Majeſtas. Perfecta itaque definitio hæc erit: Majeſtas eſt Poteſtas cogendi cives ad faciendum officium & diſponendi de omnibus, quæ faciunt ad civitatis finem conſequendum.

Nunc de magnitudine civilis poteſtatis dicam. Summa licet ea ſit, *hoc eſt*, *in terris non agnoſcat ſuperiorem*: non tamen infinita eſt, *hoc eſt*, qui eam habent, non omne poſſunt pro arbitrio facere, & quod ipſis lubitum eſt. Eſt enim firmum principium Politicum: Quælibet poteſtas fine terminatur illius Societatis, in qua obtinet. Exempli gratiâ: Patria poteſtas terminatur fine ſocietatis paternæ, & quilibet pater tantum ſaltem facere & imperare poteſt, quantum requiritur ad finem paternæ ſocietatis conſequendum. Herilis quoque ſeu dominica poteſtas terminatur fine herilis ſocietatis, nec plura, quàm quæ ad finem hujus ſocietatis conſequendum faciunt, imperare poteſt. Et ſic ſe res habet in omnibus in univerſum ſocietatibus, uti hoc latiùs explicat Dominus Johan. Eichelius ICtus Helmſtadienſis *in Tract. de jure, quo naturaliter liberi & parentes*

rentes, invicem ſunt obſtricti, parte 1. Unde neceſſariò etiam civilis poteſtas ſeu Majeſtas terminabitur fine civitatis, idque ſaltem quod ad eum conſequendum neceſſarium eſt, imperare ſeu præcipere poterit Majeſtas civibus.

Quis autem eſt finis Civitatis? Si Ariſtotelem aut alium quendam Philoſophiæ Ariſtoteléæ ſectatorem interrogabis, promptè & abſque hæſitatione reſpondebit; finem civitatis eſſe rerum ſufficientiam, conjunctam cum omnium virtutum tàm moralium, quàm intellectualium exercitio. Benè verò an malè & an doctrinæ Chriſtianæ convenienter ita ſtatuatur, fortaſſe quis dubitaret. Ut liberè quid ſentiam, dicam, ſeductus ſine dubio fuit Ariſtoteles, falsâ illâ hypotheſi: Summum hominis Bonum eſſe rerum ſufficientiam cum impedito virtutum exercitio, quam poſuit *in lib. 1. Ethic.* cique totam ſuam Philoſophiam moralem ſuperſtruxit. Nam poſita hac hypotheſi, ſine dubio vera erit & illa: Finem Civitatis eſſe rerum ſufficientiam: Civitatis enim & hominis idem planè eſt finis, ut egregiè docet noſter Ariſtoteles *in lib. 7. Polit. cap. 2.* Πότερον δὲ τὴν εὐδαιμονίαν τὴν αὐτὴν εἶναι φατέον ἑνός τε ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων καὶ πόλεως, ἢ μὴ τὴν αὐτήν, λοιπόν ἐστιν εἰπεῖν. φανερὸν δὲ καὶ τοῦτο. πάντες γὰρ ἂν ὁμολογήσειαν εἶναι τὴν αὐτήν. Hoc eſt *Utrum autem beatitudinem eandem eſſe dicendum ſit uniuſcujuſque hominis & civitatis, vel*

non eandem, reſtat nobis dicere. Perſpicuum autem hoc etiam. Cuncti enim faterentur eandem eſſe. Aſt nos lumine *per Dei gratiam* revelationis illuſtrati, ex ſcriptura ſacra aliud edocti ſumus; nimirum Summum hominis Bonum non eſſe quærendum in hac vita, ſed in alia; Illudque conſiſtere in viſione Dei beatifica, uti Theologi noſtrates, & inter eos egregiè Dominus D. Calixtus *in diſſert. de fine hominis ultimo* docet. Si autem ultimum hominis finem in his terris ſtatuere licet, ille tamen non erit rerum ſufficientia, ſed potiùs, *ſi ſana principia Theologica attendamus*, vera cum Deo amicitia, ſeu, ut explicatiùs loquar, religioſus Dei cultus. Ideoque & finis civitatis ponendus eſt religioſus Dei cultus. Quæ omnia cum latiore indigeant ſpeculatione, nec ad præſens noſtrum inſtitutum multum conferant, ideò hanc controverſiam miſſam facimus, retinentes Ariſtotelis hypotheſin, quam paulò ſuperiùs poſuimus.

Cognito nunc fine Civitatis, magnitudo quoque civilis poteſtatis, & quid vi illius Majeſtati facere ac imperare liceat, apparet.

Ariſtoteles noſter eandem tribus abſolvit, (1) Conſtitutione Senatus, (2) Magiſtratuum & (3) Judiciorum, *lib. IV. Polit. cap.* 14. Ego licet hoc non improbem, & alibi etiam ſecutus ſim; quò tamen jam ſingulorum jurium, ad civilem poteſtatem à Politicis relatorum, evidentiùs reddere poſſim ratio-

rationem, eandem à fine civitatis demonſtrabo. Erit itaque certiſſimum univerſale: Quicquid facit ad rerum ſufficientiam obtinendam, ut & omnium virtutum tàm moralium quàm intellectualium exercitium introducendum, illud imperare poteſt Majeſtas. Hoc univerſali poſito, evidentiſſima apparet ratio, cur (1) deliberatio de importandis & exportandis, (2) Jus cudendi monetam, (3) Jus conſtituendi nundinas, (4) Poſtas, referantur inter Regalia ſeu jura Majeſtatis. Nam hæc omnia benè inſtituta rerum ſufficientiam promovere: Malè verò ordinata eandem impedire poſſunt, ut nullus vel leviſſimâ inſtructus prudentiâ inficias ire poteſt. Si enim exportantur ea, quibus cives indigent, tunc officitur civium ſufficientiæ; ſi verò importantur quædam, ad luxum & abundantiam magis, quàm ſufficientiam facientia, tunc vitiis plurimis, *quæ impedire incumbit Majeſtati*, aperitur latiſſima via. Cum autem Contractus, *ceu Media explendi indigentiam*, non tàm inter vicinos, quàm diſſitos abſque nummo vel planè non, vel minùs commodè, inſtitui poſſint, naturâ duce inventus eſt Nummus, referente Ariſtotele *lib. 1. Polit. cap.* 4. Et ex eo ICto Paulo, in *l. 1. ff. de contrahenda emptione.* Hic Nummus ſi benè ſe habet, floret commerciorum exercitium, eôdem verò corruptô, commercia magnâ afficiuntur clade, hocque in Germania noſtra præteritô bellô accidiſſe, ex ma-

jo-

joribus noſtris non ſine gemitu] ſæpiùs audivimus. Unde rectè ad Majeſtatica jura jus cudendi monetam refertur. Faciunt quoque, ad rerum ſufficientiam Nundinæ. Et Poſtas non aliam ob cauſam, quàm commerciorum promovendorum gratiâ fuiſſe inſtitutas,& per conſequens earum inſtitutionem ad Majeſtatem pertinere, rectè colligunt Dd. Politici.

Porrò omnia ea, quæ ad virtutum exercitium introducendum faciunt, ad jura Majeſtatis pertinent. Hinc ad Majeſtatem pertinet (5) Legumlatio; abſque legibus enim cives nequeunt virtuoſi effici, ut latè docet Ariſtoteles *lib. X. Ethic. cap.* 9. §. 20. Quoniam autem leges abſque adminiſtrationibus eſſe non poſſunt, ob cauſas ab Ariſtotele *lib. IV. Polit.* enarratas, ideoque his quidam, qui earum curam habeant, actibuſque humanis applicent, à ſummo legum cuſtode, hoc eſt, Majeſtate erunt præficiendi. Præterea quia multa ſunt civitatis opera, quæ cum ab ipſa Majeſtate fieri nequeant, neceſſariò illa aliis demandanda veniunt: Hinc (6) refertur ad Majeſtatem Magiſtratuum, *quorum varia recenſentur genera ab Ariſtotele lib. 6. Polit.* conſtitutio. Non parùm quoque ad introducendas virtutes conferunt præmia & pœnæ. Unde, quare harum irrogationem ſibi arroget Majeſtas, non poteſt eſſe obſcurum. Ad præmia autem refero Dignitates & Honores, v. g. Ducum, Nobilium, Doctorum, Poëtarum, &c. Unde optimo jure

in Republ. (7.) horum collationem ſibi ſoli reſervat Majeſtas. De pœnis res eſt clara: Hæ licet cives non efficiant virtuoſos, quo minùs tamen illi ſint vitioſi, operantur. *Oderunt* enim *peccare mali, formidine pœnæ*; juxta illud Poëtæ, quod etiam eleganter exprimit Ariſtoteles in *d. l.* 10. *Eth. c.* 9. his verbis Οἱ γὰρ πολλοὶ, ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ λόγῳ πειθαρχοῦσι. Καὶ ζημίαις ἢ τῷ καλῷ. Quæ verba benè vertit Nobil. Dn. Rachelius Juris Naturæ & Gentium apud Chilonienſes Profeſſor Publicus Celeb. h. m. *Vulgus namque hominum neceſſitati potiùs paret, quam rationibus & verbis: Item damnis & pœnis citiùs, quàm reſpectu honeſti in officio continetur.* Hinc (8) omnium pœnarum tàm civilium quàm criminalium irrogatio ad Majeſtatem pertinet. Ut autem pœnæ debitô modô irrogentur, liteſque inter cives obortæ dirimantur, judices eſſe oportet, qui injuſtum corrigant, delicta inquirant, iiſque debitas applicent pœnas. Hinc (9) ad Majeſtatem pertinet judicum conſtitutio. Prætereà (10.) cum Gentiles quoque ad ſpecimina virtutum edenda religionem excitare viderent, ejuſdem curam ad Majeſtatem pertinere non ineptè arbitrati ſunt. Hodiè autem hujus cura multò magis ad majeſtatem pertinet, cùm nos Chriſtiani religionem non ampliùs tanquam medium conſervandi Rempublicam, ſed potiùs tanquam finem ipſius Reipublicæ appetamus, ut modo demonſtravi. Denique (11.) rectè refer-

tur

tur ad Jura Majeſtatis poteſtas indicendi Bellum & pangendi Pacem. Ab his duobus enim ſalus Reipublicæ, *cujus directio ad Majeſtatem pertinet*, dependet, ut videre eſt apud Ariſtotel. *lib. VII. Politic.* Quò ſpectat etiam Jus Sequelæ: Item Cuſtodia Regionis, quæ conſiſtit tum in milite quodam præſidiario alendo, tum in locorum oportunorum munitione, tum in apparatu quodam inſtrumentorum bellicorum, quo armamentaria inſtrui ſolent. Ut autem faciliùs populi ſe ſuaque bona adverſus hoſtes tueri poſſint, aut eò commodiùs commercia exercere, rerumque parare ſufficientiam, ſolent inire cum aliis fœdera. Hinc (12.) ad Majeſtatem pertinet poteſtas pangendi fœdera. Et quoniam nonnunquam cum aliis populis negotia tractanda veniunt, quæ tamen à capite gentis vel Reipublicæ non ſemper tractari poſſent, Et inde (13.) jus mittendi legatos Majeſtatis proprium factum eſſe, arbitror. Quoniam autem omnis is qui operatur, certis quibuſdam ad opus producendum indiget inſtrumentis; inde etiam Majeſtas inſtrumentis quibuſdam indiget, quò civitatem ad finem ſuum dirigere poſſit. Potiſſimum verò inſtrumentum Majeſtatis puto eſſe pecuniam, quæ à quibuſdam Politicis rerum gerendarum nervus non inconcinnè vocatur. Hâc enim ſi deſtituitur Majeſtas, nihil ſanè præclari, nilque imperatoriâ Majeſtate dignum efficere valet. Hinc cœpit Majeſtati attribui (14.) jus con-

conſtituendi æraria, omniaque, quæ ad ærarii conſervationem & augmentationem ſpectant, nimirùm (15.) jus collectandi & (16.) jus imponendi vectigalia.

An autem ad Majeſtatem jus venandi, aucupandi, legendi conchas, & pyramidales lapides de jure pertineat, non levis momenti inter Jureconſultos eſt controverſia: Illi, qui Romanorum, id quod juſtum eſt, metiuntur decempedâ, non ſine ſumma injuria hoc jus à Principibus ſubditis eſſe ereptum, ſcribere non verentur. Fundant autem ſe potiſsimùm in verbis Imperatoris Juſtiniani, quæ extant in §. 12. *Inſtit. de rer. diviſ. Feræ igitur beſtiæ*, inquit, *& volucres & omnia animalia, quæ mari, cælo & terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo captæ fuerint, jure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt: quod enim antè nullius, id naturali ratione occupanti conceditur.* Et in §. 18. *d. t.* Juſtinianus ita pergit: *Item lapilli & gemmæ, & cætera, quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali ſtatim inventoris fiunt.* Aſt illi, qui in legibus Romanis interpretandis principia moralia & Politica attendunt, priorum errorem facilè deprehendunt. In determinandis enim iis, quæ ſint naturalis juris, Romani uſi ſunt falſiſſimis hypotheſibus, quas ex parte detexit Dn. D. à Felde *in not. ad Hugonem Grotium de I. B. ac P. l. 2. c.* 8. Et quamvis diffiteri non poſſim, omnia animalia, omnes res, hominum gratia, productas eſſe, *prout hoc admirandô*

judi

judicio ex lumine naturæ deduxit Ariſtoteles, non tamen exinde ſequitur: Omnibus hominibus indiſtinctè eaſdem ſibi reddendi propriaſque faciendi liberrimam competere poteſtatem: Ea quidem homines, antequam in civilem coivêre ſocietatem, liberrimè uſi ſunt; Aſt civitatibus conditis, temeraria illa rerum communium occupatio, ſalvis manentibus civitatibus, locum ampliùs invenire non potuit. Eſt enim firmum morale & ab Ariſtotele in Philoſophia morali ſatis declaratum principium: In omni ſocietate, & per conſequens etiam in civitate, res communes, ſecundùm cujuſlibet, qui in ſocietate vivit, meritum, eſſe diſtribuendas. Quis autem res illas communes diſtribuere debeat, non poteſt eſſe obſcurum. Is ſine dubio, qui eſt caput ſocietatis: Caput autem Civitatis eſt Majeſtas. Hinc cœpit illarum rerum communium diſtributio ad Majeſtatem ſpectare, quæ pro ſuo arbitrio jus venandi, piſcandi, aucupandi, legendi lapillos & gemmas &c. vel uni vel certis quibuſdam perſonis vel omnibus attribuere, vel ſibi retinere potuit. Romani Imperatores hanc poteſtatem pro ſuo arbitrio, *non naturali jure*, *ut quidam exiſtimant*, *hoc exigente*, omnibus conceſſerunt, ut patet ex locis citatis. Aſt Germaniæ Principes ſibi illud jus reſervârunt, populo conſentiente nec ne, non diſputabo cum Grot. *d. l.* §. 5. Meritò itaque hodiè puniuntur, qui abſque gratioſo Principum venan-

nantur indultu. An autem pœna illa ad ſuſpendium uſque, aut aliam quandam pœnam capitalem extendi poſsit, non levis momenti quæſtio eſt, quæ ICtos & Theologos noſtros multùm torſit. Plerique ſanè ſatis crudele & inhumanum eſſe docent, hominem, ad imaginem DEI conditum, & Chriſti ſanguine redemptum, ob viliſsimæ alicujus beſtiæ capturam, ultimo *ſeu capitali* afficere ſupplicio, cum in omni delicto puniendo obſervanda ſit inter delictum & pœnam proportio. In ore quoque omnium eſt illius Herois Saxonici *pientiſſimæ Memoriæ* effatum: Se aliquoties Sacra Biblia perlegiſſe, aſt nihil unquam in iis de homine ad imaginem Dei condito propter occiſionem beſtiæ occidendo inveniſſe. Aſt his non obſtantibus, injuſtè venantes ſuſpendio, *ſalva conſcientia*, puniri poſſe, aſſerere non dubito. Imò, ſi rem exactiùs perpendo, hæc pœna adhuc nimis mollis eſſe videtur. Injuſte enim venantes ſine dubio committunt crimen læſæ Majeſt. quod probo hoc argumento: Quicunque ſibi aſſerit jus, Majeſtatis proprium, ille lædit Majeſtatem, *ſeu, ut ICti loquuntur, committit crimen læſæ Majeſt.* Atqui qui furtim venantur, aſſerunt ſibi jus quoddam Majeſtatis proprium. Ergò. Majorem probo argumento *l. ſi quis C. de falſa moneta*, ubi dicitur; eum, qui cudit privata autoritate monetam, committere crimen læſæ Majeſtatis; nullam aliam ob cauſam, quàm quia ſibi aſſeruit

ruit poteſtatem cudendi nummos, quæ nemini, niſi Majeſtati, aut cui à Majeſtate conceſſum eſt, competit. Simili igitur modo res ſe habet in venatione. Nam & hanc ad jura Majeſtatis pertinere diximus, adeoque qui eam ſibi aſſerit, crimen læſæ Majeſtatis eum committere oportet. Si itaque hi crimen læſæ Majeſt. committunt, anne hos pœna reorum hujus criminis affici injuſtum erit? Sed dicis: Ipſam criminis læſæ Majeſtatis pœnam eſſe nimis ſeveram, & per conſequens injuſtam. Hîc latiùs hujus pœnæ juſtitiam oſtendere poſſem, niſi tempori & loco inſervirem. Fiet tamen commodiori tempore.

Falſum quoque eſt, quòd quidam ICti & Theologi dicunt, inter pœnam & delictum debere eſſe proportionem, ut benè animadvertit Clariſſim. Dn. Samuel Pufendorfius, Prof. Heidelberg. Celeb: *lib.* 1. *Element. Juriſprud. def.* 21. §. 9. Illud, quod Heroi Saxonico, *verè an fictè, ambigo*, tribuitur effatum, laudandum quidem eſt; at ex eo nihil contra nos ſequitur: Exigui enim ponderis argumentum eſt: Cuicunque delicto in Scriptura Sacra nulla eſt dicta pœna capitalis, illi nec nos dictare debemus. Atqui huic. Ergò. Majoris hujus inſufficientiam oſtendit *ex parte* incomparabilis Hugo Grotius *in Tract. de jure B. ac P.* ad quem L.B. hâc vice remitto. Rectiſſimè itaque in Electoratu Saxoniæ, qui ſpretâ Sereniſſimi

Ele-

Electoris autoritate in banno ipſius ferino deprehenduntur furtim venari, & quidem feras majores, das hohe/rothe und ſchwartze oder grobe Wild/ ſuſpendio puniuntur, ſi æſtimatio ferarum captarum, *de quarum corpore ſatis conſtare debet*, quinque Ducatos excedat. Videſis D. Dn. Carpzov. ICtum undiquaque celeberrimum *in ſua Praxi Criminal.* Optimo etiam jure Sereniſſimus Elector Brandeburg. jus legendi ſuccinum Börenſtein/ ſibi ſoli reſervavit in Boruſſia, idque exemplo aliorum etiam Regum in variis terrarum partibus. Corallia enim & uniones ſolus Rex Perſiæ in Goa legit, in Africa cæteri litorales domini. Et hactenus de juribus Majeſtatis. Reliqua ſi quæ ſunt à me omiſſa, ex fundamentis præmiſſis facilè cognoſci & demonſtrari poſſunt: Mihi de iis per compendium ſaltem dixiſſe ſufficiat. Nunc ad propoſitum.

CAP. III.

De juribus Majeſtatis Principum Germaniæ, in ſpecie de Iure Belli & Pacis Principibus German. competente.

VIſis juribus Majeſtatis, intrepidè & abſque metu oppoſiti pro Majeſtate Statuum Imperii Germanici concludere poſ-

ſum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſum hunc in modum: Quibuſcunque competunt jura Majeſtatis, ſeu, ut Ariſtoteles loquitur, quibus competit jus in Republica conſtituendi Senatum, Magiſtratus & judicia, illi ſine dubio habent Majeſtatem. Atqui Statibus Imperii Germanici competunt jura Majeſtatis. Ergò Status Imperii Germ. habent Majeſtatem.

Major eſt extra controverſiam; minorem probo, alio tamen paulò ac in præcedenti cap. obſervato ordine. Quod attinet (1.) Belli indicendi & Pacem faciendi poteſtatem, eam Statibus Imperii ſingulis, adverſus exteros, *hoc eſt, Imperio, ut ita loquar, non incorporatos,* competere nullum eſt dubium. Nam quomodi quæſo Status Imperii, ab extero Principe aut Republica læſus, aliàs jus ſuum conſequi poſſet. Actionem quandam in judicio contra illum inſtituere non poteſt, cum inter gentes nulla planè, *licet non ſine ingenti, ut lubens fateor, generis humani damno*, conſtituta ſint judicia. Hinc bello id, quod ſibi debetur, conſequi neceſſe habent. Ubi enim deſinunt judicia, ibi incipiunt bella; & quod inter privatos ſunt judicia, illud inter Gentes ſunt bella, prout hoc latiùs oſtendit Hugo Grotius *de Jure B. ac P.* l. 2. c. 1. Eſt in recenti memoriâ bellum, quod ante paucos annos Reverendiſs. Dom. Bernhardus Epiſcopus Monaſterienſis, *majori quidem cucullatorum ſpe, quàm ſucceſſu* intulit Batavis: Cui quod licuit, nec aliis denegari poteſt.

Et

Et hæc de bello offenſivo. De defenſivo non poteſt eſſe controverſia. In ipſis enim Conſtitutionibus Imperii cautum eſt, ut quiſque ita in Regione & provinciâ ſuâ ſeſe inſtruat, quò ab aliorum hoſtilibus machinationibus ſecurus ſit, aliiſque ſubſidio eſſe poſſit. Daß ein jeder Churfürſt/ Fürſt und Stat in guter Bereitſchafft ſitze/auch in ſeinem Fürſteuthum/ Landen/ Obrigkeiten und Gebieten ſolche embſige Verſehung thue/ daß Er und die Seinen dennoch dermaſſen gefaſt/ damit ſie ſich unverſehens Vberfalls ſelbſt etwas zu entſchütten. Videatur R. A. zu Augſpurg/ de An. 1555. §. Nach dem aber. Imò ſi ſuperiorum temporum hiſtorias evolvimus, bella inter ipſos Imperii Status *modò indictionis*, *quam diffidationem vocant*, *ſolennitas fuerit ſervata*, non illicita fuiſſe videntur. Videatur Conſtitutio Rudolphi Imp. apud Lehmannum *in lib.* 5. *Chronic. Spirenſ. c.* 105. Poſt hunc Carolus IV. in A. B. Tit. de diffidationibus, & Fridericus III. in Reformatione Francofurtenſi de Anno 1442. Tit. Daß niemand den andern beſchädige/ clariùs ob perturbatum planè Imperii Statum, modum indicendi & gerendi inter ipſos Imperii Status bellum, præſcripſerunt. Sed peſſimus hic & belluinus lites inter Statûs Imperii ortas finiendi mos, ex diuturno illo, quod ſeculo 13. contigit, interregno ortus, poſteà

à

à Maximiliano I. *non ſine ingenti quidem labore, maximo tamen Imper. Germ. commodo*, Camerali judicio, *communi Statuum conſenſu*, inſtituto emendatus eſt. Hinc hodiè Status Imperii inter ſe de injuſto illato non armis, ſed judicio per leges Imperii contendere jubentur. Quid autem de facto fiat, omnium oculis expoſitum eſt. Plerique ſanè, qui ſunt alicujus potentiæ, controverſiarum ſuarum Martem faciunt judicem, nec in auxilium vocare Imperatorios exercitus, verentur. De quo perverſo more, & conculcata Imperatoris autoritate, graphica cujuſdam magni nominis Legati literis, ad familiarem exaratis, legi verba, quæ ita ſonant: Wenn die teutſchen Fürſten unter-einander Krieg führen / und einer darunter den Kayſer zum Succurs anruffet / kommet mir es eben ſo vor / als wenn ein Studioſus auff Univerſitäten den andern vor das Thor hinauß fodert / und darnach den Rectorem zum Secundanten erſuchet. Eſt enim vana opinio, quam quidam Martis pulli animis Principum in ætatis vere infundunt: Eſſe dedecoroſum Principi ad exemplum ſutorum & ſartorum, litigare in judicio. [NB. Huc refer addend. pagin. 1.] Nec eo ipſo quicquam dignitatis aut Majeſtatis Principibus detrahitur. Nam Status Imperii ſua ſponte & liberrima voluntate ſeſe judicio Camerali ſubmittunt, non aliter, ac privati homines ſeſe ſub-

ſubmittere ſolent arbitris ſeu compromiſſariis judicibus, quæ ſubjectio, *Legiſtis communiter docentibus*, nil neque jurisdictionis, neque poteſtatis in illos litigantes arguit. Sic olim in Regno Poloniæ ſi in ſummo tribunali Regio erat ſententia lata, in qua nolebant litigantes acquieſcere, provocabant ad Scabinatum Magdeburgenſem; Nemo tamen ſanæ mentis exinde inferet, Scabinatum vel Archiepiſcopum Magdeburgenſem jurisdictionem in Polonos habuiſſe.

Quoniam itaque demonſtravimus penes Status Imperii eſſe jus belli & pacis. Hinc & ſubditi eorum ad delectum reſpondere obligati ſunt, quod nos Germanicè die Folge vocare ſolemus. Vid. Wehnerus *in obſerv. Pract. verb.* die Folge. Et multum ſanè roboris infirmæ noſtræ accederet Germaniæ, ſi è cujuſlibet civitatis & pagi juventute pars quædam lacertoſis artubus robuſta & ad bellicas expeditiones inprimis apta ſeligeretur, quæ ad arma tractanda & opera gerenda aſſiduè aſſuefieret militaria, inque perpetuo exercitio, *antiquo Romanorum & recenti invictiſſimorum Suecorum exemplo*, Pacis etiam tempore retinetur. Experta enim eſt jam tum Germania ſumma mollitiei ſuæ & mercenariæ militiæ damna, & indies proh dolor experitur, ut certo credam ni Germaniæ Principes, in illa vicinorum undique & nonnullorum Imperii ordi-

num potentia multùm formidanda, priſco more militiam ordinare inſtituant, vix fore, ut ſuas libera poteſtate tueri impoſterum poſſint provincias. Ad priſtinum autem illum rei militaris nitorem recuperandum, non ita multi, *ut hodiè à quibuſdam vanè metuitur,* requiruntur ſumptus. Non parum utique conferret, ſi noſtri Principes impoſterum non tàm amplos in Gymnaſiorum & Academiarum fundationem facerent ſumtus, ſed illarum potiùs quaſdam *ob multitudinem & proximitatem ſibi invifem maximè damnoſas* interire paterentur, & immodicos illos ingenti otioſorum & quotannis non niſi bis vel ter auditoria intrantium Profeſſorum numero alendo ſumptus in militarem verterent uſum. Nec ſurdis auribus prætermittenda quorundam Politicorum querela, quòd plerique Germaniæ Principes ſacris Minervæ ædibus inhabitare, aliiſque ab animoſo & feroci Marte alienis ſtudiis ſe conſecrare ſoleant. Literæ enim ut plurimum hominum animos emolliunt, enervant ac effœminatos planè reddunt, aut certè ad minimum eos mitiores ac molliores, quàm aſperioris indoles Bellonæ permittit, efficiunt. Quænam etiam & quanta exinde in Germaniam noſtram redundent incommoda, experientia ſatis ſuperque teſtatur. Quare ſi Principes Germaniæ ſalvi eſſe volunt, Apollinem & Martem in æquali habeant pretio neceſſe eſt. Colant literas, non tamen negligant artes mili-

militares. Notabile eſt conſilium Epaminondæ, quod dediſſe ſuis Athenienſibus refert Cornelius Nepos *in vita ejuſdem cap. 5. num. 4. Si Principes Græciæ eſſe vultis. caſtris eſt vobis utendum, non paleſtra.* Quod optima ratione ad Principes noſtros applicari poteſt. Et diu eſt, quòd Politici militares palæſtras, *quarum exemplar in Batavis Hagæ-Comitis videre licet*, efflictim deſideraverint. Hos ſequantur, hos imitentur. Ita enim non dubito, quin Principes noſtri priſtinum iterum conſequi poſſint robur ac decus, quod patriæ noſtræ animitùs exopto.

V. Accedo nunc ad fœderum cum exteris Regibus ac Rebuspublicis pangendorum poteſtatem, quam ante Maximiliani I. tempora etiam Germaniæ Principibus competiiſſe, teſtantur hiſtoriæ; quibus ultrà quadraginta ſeptem eoſdem cum Philippo V. Carolo V. VI. VII. & Ludovico XI. Regibus Galliæ pepigiſſe legi. Verùm Maximilianus I. has Principum cum exteris confœderationes Imperio damnoſas videns, eaſdem, reliquorum Statuum conſenſu, lege publica, in Comitiis Wormatienſibus Anno XCV. ſeculi XIV. latâ prohibuit. Aſt lex illa hodiè Tranſactione Oſnabrûgenſi antiquata planè eſt, ut patet ex art. 8. §. Gaudeant: cujus verba ita ſonant: *Cum primis verò jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera pro ſua cujuſque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuò liberum eſto:* Multi quidem acriter contra hanc Statuum

libertatem diſputant, & infinita fœderum cum exteris Regibus contractorum, quæ Imperio valdè nocuerunt, ejuſque deformati non minimam præbuerint cauſam, exempla aſſerunt. Sed fruſtrà. Optandum fateor, noſtrum Imperium ita eſſet conſtitutum, ut Principes cum cæteris ſe conjungere non neceſſe haberent. Aſt quia inter Imperatorem & Status, imò inter ipſos Status, tum ob diverſas religionum ſectas, tum ob unius vel alterius privatum quoddam, *ut loquimur*, Intereſſe, nulla eſt conſtans & vera amicitia, neceſſe eſt, ut ſecuritati ſuæ Principes fœderibus cum exteris, *Galliæ nimirum & Sueciæ Regibus*, ictis proſpiciant. [NB. Vid. addend. pag.]

Quò pertinet etiam cuſtodia Regionis, quæ in quibus conſiſtat ſuprà *cap. II.* diximus. Noviſſimè tamen ſciendum eſt in nupero Inſtrumento pacis *art.* 8, §. 2. laudabiliter à Statibus cautum eſſe, ne aliquis Statuum munimentum ſeu caſtellum in ditione ſua, vel extructo præſidum niſi lege in Comitiis lata, imponat. Quandecunque itaque Princeps quidam Imperii immediatus, vel Civitas libera Imperialis eſt Caſtellum, non impetrato priùs Imperatoris & reliquorum Statuum conſenſu, fortaſſis ad alterius æmulationem ædificare nititur, in Camera Imperiali mandata inhibitoria & de demoliendo impetrantur. Quo ipſo iterum non læditur Majeſtas Statuum. Nam & hoc ipſum

ſingulari pacto & præcedente liberrima Statuum Imperii voluntate, inter ipſos ſecuritatis publicæ tuendæ ergò conſtitutum eſt.

CAP. IV.

De poteſtate ferendi leges, quomodo Principibus Germaniæ competat.

HAbent quoque ſinguli Status jùs in territoriis ſuis condendi Leges. Quod jus tamen, ſicuti & reliqua, quidam liberiùs, quidam reſtrictiùs exercent. Quidam enim Principes Germaniæ in ſuis territoriis non niſi adhibito Statuum Provincialium conſenſu leges condunt. Quidam verò liberrimè, nullius conſenſu adhibito, hoc jus exercent. Miratus itaque ſum non ſemel, cur plerique Doctores Legiſtæ Sereniſſimi Electoris Saxonici aliorumque Principum Leges juribus ſtatutariis annumerârint. Oportet ſanè Legiſtas illos aut ignorare naturam ſtatutarii juris, aut neſcire poteſtatem Statibus Imperii noſtri competentem. Quorum prius tamen non eſt veroſimile. Nam omnes, *quos quidem legi*, fatentur, ſtatuta eſſe ejuſmodi jura, quæ à civitate provinciali ſeu alia univerſitate inferiore, hoc eſt, Majeſtatem non habente, ſunt condita. Vid. Bachovius *in not. ad Treutl.* Hinc argumentamur:

tamur: Quodcunque jus eſt conſtitutum ab eo, qui habet juris condendi facultatem, nec ſuperioris confirmatione ad ſui valorem indiget, illud jus non poteſt dici Statuarium; Atqui jus Saxonicum eſt tale jus, quod eſt conſtitutum ab eo; Electoribus videlicet Saxonicis, qui habuêre, & adhuc hodiè habent juris condendi facultatem, &c. Ergò. Et quod dixi de jure Saxonico, id ſimili ex ratione de omnibus juribus à Principibus reliquis & Civitatibus Imperialibus Germaniæ conſtitutis dici poteſt. Et horum jurium in ditionibus principum maxima eſt autoritas. Præterquam enim quòd Camera Imperialis æquè ſecundum illa ac ſecundum Conſtitutiones Imperii judicare tenetur. Vid: *Ord. Cameræ part. I. tit 23. & tit. 27.* Etiam illa juri communi contraria eſſe & expreſſis Imperii legibus derogare poſſunt, referente Reinkingio *de Regimine Seculari & Eccleſ. lib. II. claſſ. 2. c.* 10. Rem declarabo exemplo: Seculo priori inter Dd. juris privati Romani magna erat controverſia, quomodo fratrum filii ad ſucceſſionem ab inteſtato ſint vocandi, an in ſtirpes, an in capita. In qua controverſia cum Dd. convenire non poſſent, & neuter, *quod mirum*, textus Juris Civilis, in quibus hæc controverſia jam olim deciſa fuit (fuit enim deciſa *in l. 2. §. 2. ff. de ſuis & leg. hæred.* Item *in l. 1. §. ult. ff. ſi pars hæred. petatur*) oſtenderet, res tandem delata ad Comitia, & in iis ab Impera-

peratore Maximiliano I. conſenſu Statuum Imperii deciſa eſt; fratrum filios debere ſuccedere in capita. Vid, die Cammergerichts-Ord. zu Augſpurg. de Anno 1500. ſub tit. die Succeſſion der Dichter oder Enckel; hac conſtitutione tamen non obſtante in quibuſdam Germaniæ locis in ſtirpes admittuntur. Simili modo licet in conſtitutionibus Imperialibus ſtatutum ſit, ne pro centum ultra quinque ſolvantur uſurarum nomine: In pluribus tamen regionibus Germaniæ, *præprimis maritimis*, ſex in centum vel plures etiam ſtipulari licet. Dominus Carpzov. *Juriſprudentiæ forenſis part*, 2. *c.* 31. *Def.* 1. & 3. Imò Principes ſuis juribus derogare poſſe conſtitutionibus Imperialibus evidenter colligere eſt ex verbis Receſſus Imperii Ratisbon. de anno 1654. §. Anreichend die künfftige Zinß/ ubi diſerta hæc leguntur verba: Zum zweyten dem jenigen ebenmäſſig nachgelebet werden ſol/ was Chur Fürſt und Stände in ihren territoriis nach deren ihren beſſern bekanten Zuſtand und erlittenen Kriegs-Schaden/ wie es in Credits-Sachen unter ihren Unterthanen und Bürgern zu halten albereit verordnet/ und nach Anleitung folgender Regeln wieder verordnen möchten. Quibus quid clariùs pro noſtra ſententia firmanda dici poſſit, non video. Probè tamen ſciendum eſt, hanc poteſtatem recedendi à jure Imperii communi

non infinitam, ſed certis limitibus incluſam eſſe: Nam Status Imperii inter ſe conſtituunt peculiarem Societatem, & per conſequens illud jus, quod illius conſervandæ ergò mutuo conſenſu conſtituerunt, obſervare debent, nec quiſquam ab illius obligatione vel ſe vel ſuos ſubditos ſubtrahere debet.

Præter illas autem leges, quas Principes in Provinciis ac ditionibus ſibi ſubjectis, condunt, ac quæ in Comitiis totius Imperii gratia communi ferunt conſenſu, obtinent etiam leges Juſtinianeæ, quæ à Statibus *expreſſo an tacito conſenſu & quo tempore non diſputabo*, liberrimo conſenſu recepta ſunt. Errat enim in eo vehementer, fortaſſis à Dd. Italis deceptus, *Arthurus Duck* ICtus Anglus aliàs doctiſſimus, dum Jus Juſtinianeum à Statibus Imperii Germanici ex neceſſitate & coactione quadam foro conſecratum eſſe aſſerit. Qui error cum à ICtis & Politicis noſtris paſſim refutetur, eundem mihi nunc ſicco pede præterire licebit. Benè an male verò jus illud Juſtinianeum in Germania ſit receptum, nunc ſaltem videbo. Qui juris Romani prolixitatem faſtidiunt, & ob hoc ægris aſpiciunt oculis, hinc inde quæ ſitis ſpecioſis rationibus non ſine ſumma imprudentiæ nota & Principatuum ac Rerumpublicarum Germ. nocumento eſſe receptum, publicè fateri non erubeſcunt. Sed illorum argumentis, quæ hic adducere operæ pretium non

non eſt, facilè ſatisfacere poſſum: Omne enim jus vel eſt publicum vel privatum. Illud quin ſtatui exactè convenire debeat, & per conſequens, quòd Jus publicum Juſtinianeum in noſtra Germania exiguum, ſeu potiùs nullum habeat uſum, nullus prudens dubitat: Huic verò quamvis non omnem cum ſtatu Reipublicæ convenientiam abjudicem, tantam tamen non in eo requiri, quanta neceſſariò in publico, *utpote quo totius Reipublicæ compages continetur*, requiritur extra omnem dubitationis, *in ſcholis Politicorum*, poſitum eſt aleam: Ideoque, cur illud in judiciis Germaniæ recipi non debuerit, nihil video ſubeſſe cauſæ. Jus enim Romanum privatum tàm accuratè & ſolidè excultum eſt, ut nullibi non egregia Philoſophiæ Græcæ in eo deprehendere liceat veſtigia: Imò pleraque illius juris, æterno illi ac immutabili juri, quod naturæ vocamus, accuratè convenire, multis docuit Dn. Eichelius *in Comment. ad Reg. Jur.* Quædam verò eſſe hinc inde aſperſa, quæ vel ex mero Romanorum arbitrio ſunt profecta: Multa item ab inconſtanti Reipubicæ forma eſſe expreſſa, diſſimulare non poſſum: Omnia tamen ejuſdem eſſe farinæ, vix mihi quiſquam perſuadere valebit. Et dum quidam legum in Corpore Juſtinianeo redarguunt multitudinem, non parum prudentiæ ſuæ Civilis laudem vacillare faciunt. Præterquam enim quod illud legibus minimè abundet,

 cum

cum quicquid molis ipſi ineſt, legum interpretationibus, potiùs quàm legibus ipſis ſit adſcribendum. Falſiſſimum quoque eſt, legum multitudinem Reipublicæ eſſe pernitioſam, eamque ſignum eſſe Reipublicæ malè ordinatæ certiſſimum: Contrarium potiùs docet, rerum Civilium peritiſſimus Ariſtoteles *in lib. 1. Rhet, c. 1. n. 13. Ergo*, inquit, *maximè quidem oportet rectè poſitas leges, omnia, quæ poſſunt definire ac decidere ipſas, ita ut quàm pauciſſima in arbitrio eorum, qui judicant, relinquantur*, &c. Et illud C. Taciti *lib. 1. Annal.* quod Juſtus Lipſius in malum ſenſum torquet, cum grano ſalis eſt accipiendum, ut benè monet, & eleganter explicat Dn. Chriſtoph. Foſtnerus Taciti Commentator feliciſſimus.

Diffiteri tandem non poſſum, laborare Germaniam noſtram legum illarum, quæ ſtatui Principatuum & Rerumpublicarum Germaniæ minimè congruunt, multitudine. Multæ enim in jure Juſtinianeo reperiuntur, quæ Tyrannicum, multæ quæ Oligarchicum, multæ etiam, quæ Democraticum ſapiunt ſtatum, quas omnes apud nos civitate velle donare, eſſet Germaniam planè invertere. Nil dicam jam de Jure Canonico, quod integrum in Curiæ Romanæ conſervationem, *ex Imperii noſtri deſtructione quærentis ſalutem ac emolumentum*, à Romanis Pontificibus latum eſt: Hoc licet à Principibus Proteſtantibus non niſi ob quandam
in

in quibuſdam materiis æquitatem ſit receptum: Proceſſus tamen ejus judiciarius integer apud nos, ſummo Germaniæ malo, obſervatur, ut infrà *cap. VIII.* dicetur. Quare eſſet, cur noſtræ quoque Germaniæ novum quendam optaremus Juſtinianum, qui utilia adderet, inutilia verò reſecaret, indigeſtamque legum noſtrarum molem in menſurabile atque utile corpus redigeret. Elegans legum Germanicarum corpus Receſſus Imperii conſtituunt, quorum τὸ ὅτι hiſtoria quadam comprehendere ante aliquot annos à Per-Illuſtri Barone Domino à Boineburg, perpetuo ſeculi noſtri Politicorum ornamento, literis, *quas ego, Magni cujuſdam Viri pace deſcriptis ſanctè ſervo*, ſollicitati ſunt Forſtnerus, Conringius & Bœclerus, omnes rerum Germanicarum peritiſſimi Viri: Et licet hoc opus laudato modò Bœclero ſemper arduum omninò viſum fuerit; ſpem tamen magnam non ſolùm Domino Baroni, ſed & multis doctis fecit, quam ſolam Forſtneri epiſtolam intervertiſſe fortaſſis haud vanè quidam mecum conjiceret.

CAP. V.

De juribus Epiſcopalibus, Principibus ſecularibus Proteſtantibus & Reformatis competentibus.

DE cura Religionis, an hæc & quatenus Principibus Germaniæ competat, non leve ſuperiori ſeculo inter Pontificem, Imperatorem, & reliquos Status Imperii exortum eſt dubium, quod omnibus diſſidiis, & bellis civilibus, truculentiſſimis in Imperio noſtro proh dolor! præbuit cauſam. Quo jure autem quilibet horum in maximo hoc jure ſibi arrogando nitatur, patebit, ſi à primo Germanorum Rege, Carolo M. exordium faciendo, hiſtoriam Status Eccleſiaſtici tradidero. Quantum verò mihi ex hiſtoriis conſtat, primi Carolinæ familiæ Reges Imperium circa ſacra, nullo reluctante, exercuêre. Convocârunt enim concilia, lites inter Epiſcopos obortas dijudicârunt, Epiſcopos delinquentes coërcuêre & ab officio removerunt: Qui digni videbantur Eccleſiis delegerunt, aut electos confirmârunt, aut non legitimè ordinatos abjecerunt, omniaque Eccleſiaſtica munera, niſi quæ ad internum conſcientiæ forum pertinere videbantur,

tur adminiſtrârunt, prout hoc multis docet Salmaſius *in defenſione Regis Anglici l. 2. c. 9.* Poſtquam verò Pricipes & Duces ditiones ſuas Regia authoritate adminiſtrare cœperunt, ipſis etiam juriſdictio Regia in Epiſcopos & Clericos cum reliquis juribus Majeſtatis ceſſit, quod ipſum evidenter ex formula adminiſtrationis, quam Imp. Henricus Auceps Arnolpho, Duci Bavariæ, præſcripſit, colligere eſt: *Sacrarum adium quoque*, inquit, *opum Eccleſiaſticarum, Epiſcoporum, Sacerdotum, Myſtarum, Monachorum, Antiſtitum, omnium curatorem te eſſe jubeo & patronum. Illos tibi in clientulos dico, modò nomen Regis inutile abdicato.* Duces quoque Saxoniæ Imperium circa ſacra ſibi arrogâſſe conſtat. Et inter hos Henricum Leonem, etiam poſt tranſactionem inter Calixtum Papam, & Henricum V. de inveſtitura laica initam, poteſtatem Epiſcopos conſtituendi ſibi ſumſiſſe, manifeſtum eſt ex hiſtoria Geradi, Epiſcopi Altenburgenſis, quam refert Crantz. *lib. 6. Saxon. Nam Dux*, inquit, *facta poſtulatione apud Cæſarem obtinuit Epiſcopatus erigere in omni terra Vandalorum, quam vel ipſe vel progenitores ejus ſubjugàrunt.* Verùm invaleſcente Pontificum Romanorum poteſtate, inſolentia ipſorum quoque crevit, qui variis ſubinde machinationibus, Imperatoribus, aliiſque Principibus ſecularibus omni circa ſacra Imperio, *vi vel fraude nunc non diſputabo*, erepto, ſupra vertices ipſorum ſeſe conſtituere & Monar-

chiam

chiam in Eccleſia condere annisi ſunt. Et quanquam Pontifices diu in poſſeſſione hujus monarchiæ manſerint, de jure tamen ipſorum ſemper inter doctos dubitatum fuit. Vid. Marcus Antonius de Dominis. *Republic. Eccleſiaſtica lib.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Tandem detecta per Divum Lutherum fraude Pontificum, quidam Principum, qui hodiè Proteſtantium & Reformatorum nomine veniunt, juriſdictionem Eccleſiaſticam recuperare, *mirabili profectò, &, ut eventus docuit, divino ſucceſſu*, tentarunt. Unicus enim miſellus monachus maximam Germaniæ partem ab obſequio Pontificis avertit, & irrecuperabile Sedi Romanæ intulit damnum. Inde orta inter Principes Germaniæ & Imperatorem Carolum V. *Papa vires & conſilia ſubminiſtrante*, bella, quorum ſtrepitu univerſa ſonabat Europa. Quæ cùm primo tempore Proteſtantibus, captis Electore Saxoniæ & Landgrafio Haſſiæ, infeliciter ceſſiſſent, de religione reſtauranda actum videbatur, donec Mauritii Saxonis armis Carolus V. Proteſtantibus liberum religionis exercitium, *fruſtrà ringente Papa*, permittere coactus fuit, inita Anno 1550. tranſactione Paſſavienſi. Ubi hoc latiùs legere eſt apud Dn. Phil. Andr, Oldenburger qui Burgadenſis, ficto dici voluit nomine, *in Diſcurſ. ad Inſtrum. Pac. diſ.* 1. Deinde in Comitiis Auguſtanis Anno 1555. facta pacificatione Religioſa Imperator

tor & Status Imperii liberrima voluntate invicem convenerunt, ut ſepoſitis omnibus ſimultatibus, diverſarum Religionis Chriſtianæ ſectarum Status pacificè inter ſe vivant, donec colloquio amicabili inter utrosque numero & jure pares de religionis diſſidio conveniatur. Licet autem Proteſtantes inenarrabili deſiderio emendationem Eccleſiaſtici Status (qua indiguiſſe ne ipſi Pontifices quidem diſſimulare potuerunt, ut legere eſt apud Sleidan. *lib.* 4. *hiſtor.*) flagitarint: Invicta tamen Pontificum pertinacia, qui quantum ex emendatione authoritatis & ornamenti Eccleſiæ accederet, tantum de ſua amplitudine & poteſtate detractum iri haud vanè metuebant, *legitimi* Concilii congregatio nunquam impetrari potuit. Qua de cauſa hinc inde ortæ inter Status Imperii Germanici turbæ aliter ſopiri non poterant, quàm ut Proteſtantibus Statibus ſecundum Auguſtanæ Confeſſionis formulam in ſuis regionibus Eccleſiæ conſtituendæ facultas iterum permittatur. Et hac occaſione ordinandæ religionis poteſtas, quam antea habuerunt, iterum ad Principes pervenit, & hodiè non immeritò inter primaria ipſorum jura numeratur. Unde glorioſæ memoriæ Princeps Mauritius Haſſiæ Landgrafius dicere ſolitus eſt **Die Freyheit in Religions-Sachen ſey der Stände höchſtes** Regal, ita ut hujus vigore liberum

Reli-

Religionis exercitium in ditionibus ſuis non ſolùm introducere, ſed & reformare, mutare ac interdicere poſſint. Probè tamen notandum eſt ex *Artic* 7. Inſtrum. Pacis Cæſareo-Suec. *verſ. Quoniam verò* &c. Proteſtantes & Reformatos, qui ob proximiorem inter ſe, quàm quæ inter hos & Romano-Catholicos, intercedit cognationem, faciliori negotio in unum coire poſſe ſperant, mutuo ſibi fidem dediſſe, ne quis contra alterius fidei Sectatores, quamvis ſubditi ſint, hoc jure utantur. Et hæc prudenter ita ſunt ſancita: Nullus enim dubito, quin Calviniani, *ut à vulgo vocantur*, & Lutherani facili negotio uniri poſſint, ab utraque parte modò adhibeantur docti, prudentes & concordiæ Chriſtianæ amantes viri. Sanè etiam Theologi quidam ſummæ eruditionis & inculpatæ vitæ nulli verentur fateri hos omnes in ſimplici fide convenire, adeò, ut ſi Sacerdotibus interdicatur controverſias illas in concionibus agitare, & aſperis ac injurioſis nominibus alteram partem perſtringere: In Academiis verò & Univerſitatibus non niſi moderatioribus & prudentibus viris illas ad diſputandum proponere, quin paucos intra annos illæ lites ſint expiraturæ, non eſſe dubitandum. Add. hîc Dn. Monzamb. *de Statu Imp. German. cap. ult.* & Dominus Textor *de Rat. Stat. c. ult.* Hunc concordiæ finem Colloquium illud celeberrimorum quorundam Theologorum Rin-

Rintelenſium & Marpurgenſium, ex decreto Sereniſſimi Principis Wilhelmi VI. Haſſiæ Landgrafii, Caſſellis Anno 1661. menſ. Jul. habitum, optimè reſpexit, licet non ubique, æquos invenerit cenſores. Poſt paucos annos tamen, anno videlicet 64. Sereniſſimus ac Potentiſsimus Elector Brandeburgenſis, Fridericus Wilhelmus, Germaniæ noſtræ ocellus, publico Edicto omnes controverſias utriuſque ſectæ Paſtoribus in ſuggeſtu recitare prohibuit. Quod Edictum etiam, tanquam Religioni noſtræ cultuique Divino minimè adverſum, approbavit Venerand. Miniſterium Noribergenſe, uti apparet ex illius ad itidem Venerand. Miniſt. Berolin. ſub dato 17. Decembr. Anno 64. exaratis literis. Halten demnach unmaßgebig dafür/ daß freylich auß ſchuldiger Ehrerbietung gegen S. Churf. Durchl. und deroſelben Hoffſtadt/ wie auch zu Erhaltung allgemeiner Ruhe und Friedens/ dem Befehl/ die Streit-Fragen betreffend/dergeſtalt mit unverletzten Gewiſſen gehorſamet werden könne: Daß/ ſo viel die Vorbringung der Reformirten Lehre auff offentlicher Cantzel betrifft/ man die Sache/ wenn es der Text erfordert/ wie ſie an ihr ſelber iſt/ ſage/ ſich aller Bitterkeit in Worten enthalte/ und auch wol in Betrachtung/ daß die zur Beſſerung des Lebens dienende Lehren und Vermahnun-

gen/

gen / in ſo groſſer Menge vorhanden / die Streit-Fragen gar ſelten berůhre / die-ſelben nicht zu dem Texte / ſondern auß demſelben ziehe / und einen Unter-ſcheid zwiſchen denen alſogenanten Supralapſariis und infralapſariis mache: Damit es nicht das Anſehen habe / als ob wir des Calvini, Bezæ, Piſcatoris, Gomari, und dergleichen harte Meynung / von dem Decreto Reprobationis, denen heutigen Reformirten / welche derſelben ſeit gehaltenen Dordtrechtiſchen Synodo nicht mehr beypflichten / zuſchreiben wolten. Und weil einige Gefahr der Verfůhrung nicht abzuſehen: Als kan man umb ſo viel deſto leichter die jenige ungereimbte und ůbel-beſchriene Dinge / die den andern Theil durch Folgereyen pflegen beygemeſſen zu werden / mit Stillſchweigen ůbergehen; zumahlen dazu eben derſelben Beſcheidenheit durch das Churfůrſtl. Edict. welches in dieſem Stůck der gehaltenen Gleichheit von dem Oßnabrůckiſchen Frieden-Schluß gantz nichts abweichet / auch der andere Theil verbunden. Und haben wir bißanhero verſpůhret / daß dieſe von uns gehaltene Weiſe / ſo wol denen Verſtåndigeren / als Einfåltigeren unter unſern Zuhörern / bey hieſiger Stadt nicht wenig gefallen: Sondern auch die Reformirten ſelbſt in nicht geringer Anzahl

zahl

zahl unſere Predigten beſuchen / und dieſe unſere Widerlegung in keinem Unguten auffnehmen. Hactenus Noribergenſes.

Sed his omnibus jam ſepoſitis, quomodo Principes Auguſtanæ Confeſſionis jura ſacrorum in ditionibus ſuis exerceant, dicam: Ubi (1.) ſciendum, quòd Principes illi hæc omnia, *exceptis iis, quæ ad internam Eccleſiaſticam ſpectant poteſtatem*, in ſuis Conſiſtoriis tractare ac peragere ſoleant. Quibus interſunt Theologi pariter ac Politici ſeu ICti, quos Conſiſtoriales vocant. Inter quos tamen Præſidem Politicum, *non Theologum* eſſe oportet, prout hoc ex ponderoſis rationibus Vir ſummus, & in inferiori Saxonia Cancellarius magni nominis, in dato, ad Principem ſuum *mihique ad haud vulgaris exiſtimationis Viro*, *communicato* deduxit Conſilio, quas nec adſcribere nec legere tædioſum eſſe poteſt. Verba ipſius ita ſonant: Die Direction in Conſiſtorio gebühret allemahl einem Politico, wie ſolches bey allen Evangeliſchen Chur-und Fürſtlichen Conſiſtoriis, und in ſpecie an dem Churfürſtlichen Sächſ. Hof gehalten wird. Es hat auch ſolches unterſchiedene viel wichtige rationes. Das meiſte / was bey den mündlichen Verhörungen und expeditionibus fürlaufft / betrifft entweder den Proceſs oder andere Politiſche Umſtände / Wo-

von die Geiſtlichen keine gründliche Wiſſenſchafft haben. Bey denen Papiſtiſchen expeditionibus der Biſchofflichen Sachen, wird niemand dit Direction anvertrauet/ der nich in Jure Canonico und allen / was zu ſolcher Wiſſenſchafft gehöret/ verſatiſsimus ſey. Et ſi quis rem altiùs expendere velit ſo war der Præſes oder Caput des höchſten Geiſtlichen Synedrii zu Jeruſalem (deſſen Inſtitution am meiſten GOtt dem Allmachtigen ſelbſt ex ejus converſatione zu zueignen) nicht der Hoheprieſter / ſondern ein anderer/ welchen der König darzu verordnet / qui dicebatur Naſi. Nechſt ſolchen Naſi oder Capite Synedrii war noch einer / ſo etwan nich unfüglich des Naſi Vicarius genennet werden könte / qui vocabatur Pater Synedrii. Der Hohepriester aber war die meiſte Zeit / wann er tüchtig und qualificirt dazu war / nur ein Senator ſive Aſſeſſor Synedrii muſte ſich auch nach deren Direction richten. Unterweilen war gemeldter Hohepriester nicht ein mal ein Aſſeſſor, ſondern muſte ſich an ſeinem Hohenprieſterlichen Ampt begnügen laſſen / und iſt kein Zweiffel / daß auf ſehr wichtigen Urſachen alle die Evangeliſchen in Teutſchland ſich auch ſolcher Ordnung obgemeldter maſſen gebrauchen können. Nec

igno-

ignorandum (2.) eſt, à juribus Epiſcopalibus differre jus Patronatus, quod in præſentatione Miniſtri Eccleſiæ conſiſtit. Et hoc iis etiam, qui ſumma non pollent poteſtate, in compenſationem meriti, quòd Eccleſiam fundârunt & dotârunt, conceſſum eſt. Benè an malè, experientia didicimus. Omnium ſanè conſultiſsimum eſſet ejuſdem, cui de Religione ejuſque exercitio diſponere facultas eſt, etiam vocandi & ordinandi Paſtores eſſe poteſtatis. Si enim Politicis credimus, quicquid diſsidii inter Status Imperii diverſarum ſectarum hactenus fuit, Paſtores ejuſdem fuère cauſa: Principum ideòque erit, ne concordiæ Eccleſiaſticæ hoſtes ad hoc officium perveniant, præcavere: Hoc autem nequit commodè fieri, ni ad eundem præſentatio, vocatio & ordinatio Paſtorum recidat. Aſt huic juri tàm ſtrictè innitimur in Germania, ut inſcio Patrono, Epiſcopalia jura habenti, Paſtorem (excepto Superintendente) inſtituere non liceat. Ne tamen Patroni hoc jure inſigni pro animi utantur ac abutantur lubitu, certum tempus, & quidem Patrono Clerico ſex, Laico, quatuor menſium præfixum eſt, quo elapſo demum Epiſcopalia jura habenti ex officio Paſtorem inſtituere fas eſt. Quod tamen tempus in pleriſque locis, *malè profectò*, non obſervatur. Nec tolerandum eſt, ut Patroni citra caſum neceſsitatis Subſtitutos Paſtori-

bus

bus adjungant: Hoc enim adverſatur bonis moribus & non minimam peccandi in Eccleſia occaſionem præbet: Votum ſcilicet cauſatur captandæ mortis, Gentilibus etiam deteſtandum. Si autem ob prægnantes cauſas, *Paſtore videlicet decrepitæ exiſtente ætatis, aut continuo aliàs laborante morbo*, quis ſubſtituendus veniat, ei ſimul certiſſima ſucceſſionis ſpes facienda, ob egregias, quas Dn. Carpzovius *in Juris-prudent. Conſiſtorial. lib.* 1. *tit.* 2. *defin.* 18. prolixè adducit rationes.

Quamvis autem Patrono libera, ſine determinatione generis ac perſonarum, competat præſentatio, reſtringenda tamen eadem (1.) ad idoneum Subjectum tàm quoad Sacroſanctæ Theologiæ cognitionem, quàm quoad morum gravitatem, integram exiſtimationem & vitam exemplarem. (2.) Ad eandem non modò ſecularis Magiſtratus, ſed etiam Cleri ac populi, omniumque Parœcianorum der Eingeſarten conſenſus accedat neceſſe eſt. Cavendum tamen probè eſt, ne temere multum hîc promiſcuæ plebis committatur arbitrio: Plebs enim ſæpè precibus mota, non rarò loquacitate eorum, qui nihil ſolidè, nihil in tempore & ordine proferre, ſed rabularum forenſium inſtar, linguam venalem habent, ad clepſydram perorare, ac tempus ſaltem fallere nôrunt, imò nonnunquam etiam pretio excitata, indigniſſimis quibuſvis votum ſuum largitur.

Ad

Ad explorandam autem futuri Paſtoris idoneitatem, cogitur habere Orationem *δοκιμαστικὴν* Prob-Predigt / qua omiſſa in terris Saxonicis Paſtoris vocationem nullam eſſe docet ſæpè laudatus Carpzovius *d. l. defin.* 34. Deindè à Superintendente, *ni de ejus eruditione morumque integritate jam tum ipſi vel Conſiſtorio conſtiterit*, in fundamentis Religionis Chriſtianæ examinatur, & idoneus deprehenſus ordinationis & confirmationis teſtimonium à Conſiſtorio, novo tradi ſolet Paſtori. Ordinatione etiam facta, ſequitur inveſtitura, quæ licet de ſubſtantia Miniſterii non ſit, nequaquam tamen omitti debet, vel propter ſolennitatem, qua literæ confirmationis publicè prælegúntur, Paſtor novus toti Eccleſiæ ſiſtitur ac auditores ſui admonentur officii. Lauta tamen illa, quæ *ſumptibus Eccleſiæ* poſt inveſtituram parantur convivia, ſalva fortaſsis, *ut ego quidem reor*, conſcientia omitti poſſunt. Sed hæc tàm neceſſaria Germanis noſtris viſa ſunt, ut ſi fortaſsis Eccleſia pauper ſit, nec habeat, ut tantum cereviſiæ & vini, ſtomachis illorum, qui inveſtituræ actui interſint, implendis, emere poſsit, Parochianos ad contributionem obſtrictos eſſe manibus pedibuſque contendant. Et in his tam altè potant, ut ipſos curribus nonnunquam ſimariis, ni in hac platea pallium, in altera pileum &c. perdere velint, domum trahere neceſſe

ſit, Vnd das heiſſt ein Poculum Charitatis. Sapienti ſat.

Nünc de officio Paſtorum in benè ordinata Republica, quod eſt (1.) ut in eo obeundo ſocordes non ſint, nec tàm ſæpè Studioſos Theologiæ, ad exercitium concionatorium, quo litare ipſi Vacunæ poſſint domi, admittant. Cui vitio, quo ut plurimùm eos qui vel in Academiis, vel in locis iiſdem habitant vicinis, inquinatos cernimus, meritò à Principibus obviam eſt pœnis eundum. (2.) Ut quantum fieri poteſt ſe à controverſiis abſtineant, cum ex earum doctrina plus ſæpè nocumenti, quâm emolumenti in vulgus emanat. Quod etiam ſapientes Gentiles animadverterunt. Romani enim antiqui nullum ex plebe libros rituales legere paſſi ſunt, quòd inde deprehendere tot diverſas de ſacris opiniones poterant. Et ni huic malo in tempore medicina paretur, Atheiſmum in meditullio etiam Germaniæ oriri neceſſe eſt. (3.) Publicè debita ſeveritate ac παῤῥησίᾳ auditorium ac fidei ſuæ commiſſorum taxent vitia, minimeque vel aureis donis vel dulcibus bellariis aliiſque gulæ inſervientibus rebus ſe frenare patiantur. Non tamen ad perſonalia, nî privata præceſſerit commonefactio, deſcendant: *Plus enim ſæpè*, ut S. Ambroſius *lib.* 8. *in Luc.* ait. *amica correptio, quàm turbulenta prodeſt accuſatio: Illa pudorem incutit, hæc indignationem movet.*

Hinc

Hinc JCtorum Senatus, Paſtorem, qui *poſt-habitis admonitionum gradibus*, in perſonam aliquam *vel nominatim, vel per colores vivos* injurioſis invehitur verbis, injuriarum conveniri poſſe, ſtatuit: nec injuſtè; Clerici enim etiam ſuis reguntur affectibus, iiſque nonnunquàm magis quàm Laici indulgent. Quòd ſi igitur impunè injurioſa quæque pro concione liceret verba proferre, *bone DEus!* quantas illi erigerent criſtas? quam duriter illi, vel verbulo læſi, populum non ſolùm, ſed & primores civitatum eſſent tractaturi? Ante omnia frenum horum linguis eſt injiciendum, ne temerè, *dico temerè*, Principum aliorumque, qui Reipublicæ habenas moderantur actiones, & conſilia, *quorum ratio & eventus ipſos ſæpè latet & latere debet*; diris ſtatim devoveant execrationibus. Nam Paſtorum apud vulgus ea eſt autoritas, ut quicquid ii ſæpè ſine ſenſu ac judicio, *irato ſine dubio Divino Numine*, in corona affectuum vehementia abrepti garriunt, pro Spiritus S. oraculis agnoſcant: In qua autoritate etiam ſunt à civili manutenendi poteſtate, hac tamen cautione, ne illi eadem abutantur, Demagogorum mores induant, plebemque in caput ipſius Principis concitent. Ut taceam notabilem illum ruſticorum tumultum Bauerenkrieg in Germania ſuperioris ſeculi Anno XXV. exortum, cui nemo, *ſi fides Hiſtoricis habenda*, niſi Thomas Münzerus, Con-

cionator Alſtedenſis, turbulentis ſuis concionibus cauſam præbuit: Loquantur recentia exempla. Erffurtenſes ſanè nunquam libertatem (qua *ob ſtoliditatem* an indigni fuerint nec ne, non diſputabo cum Drſ. de Monzambano) perdidiſſent, ni rigidam & improvidam plebem in ſua pertinacia, publicis *immaturo zelo* confirmaſſent concionibus. Reliqua religioſo involvam ſilentio. Illos ſaltem, qui æquè dubia fruuntur libertate, ut horum exemplo moniti cautiùs mercari diſcant, mones. Nec (4.) ſe immiſceant rebus Politicis & ad judicium officium ſpectantibus: nunquam enim monſtrabunt mihi, ubi quiſpiam Apoſtolorum, *quos imitari decet*, aliquando in foro ſederit judex hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum: Stantes quidem judicatos legi Apoſtolos, ſedentes autem judicaſſe nunquam legi. Et ſcandaloſum eſt, ſi Clerici literas, *ſacra auri fame ducti*, procuratorio more in cauſis, *ſapè de gallina*, *aut ovo* litigantium ſuorum ruſticorum ſcribant ſupplices. Exigitur quoque (5.) vita potiſſimùm exemplaris, quam ruſtici ut plurimùm unicam actionum ſuarum faciunt normam. Elegantia ſunt verba Gregorii *in Paſtorali: Nemo*, inquit, *in Eccleſia ampliùs nocet, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem ſanctitatis vel ſacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia*

ordi-

ordinis peccator honoratur. Omnibus itaque Paſtoribus cum ruſticis ſuis intrare popinas, aliiſque, ubi pro patria bibitur, intereſſe conviviis religio ſit: Nec iiſdem vinarias vel cereviſiarias tabernas habere permittendum eſt. Ita enim videntur ad potandum invitare eos, quos revocare decet.

Quoniam verò in omni Societate ordinem eſſe oportet, nec inter Clericos ordinem facere erit incongruum. Hinc in Eccleſia tres Clericorum gradus conſtituti; quidam Epiſcopi, quidam Presbyteri, quidam Diaconi appellabantur. Sicut autem poteſtas Epiſcoporum valdè imminuta apud noſtrates; Ita & nomen illorum exoſum ac ſuperbum in mitiorem Superintendentis mutatum eſt titulum. Et inter hos quidam eſt, qui Generalis vocatur, cui inſpectio in omnes, cujuſcunque ſint gradus, Principi ſuo ſubjectos competit Clericos. In inferiori autem Saxonia, *id quod obiter noto*, quidam Theologiæ Doctor, eò proceſſit inſolentiæ ac ambitionis, ut Generalis, *ſatis pol magnifico ac excellenti titulo* noluerit eſſe contentus, Generaliſſimi affectans nomen, de quo vehementer conqueſtus eſt, modò laudatus Dn. Cancellarius in eodem conſilio. Ubi ſcribit: Es iſt auch/ die Warheit zu bekennen/ das Wort und der Titulus eines Generaliſſimi Superintendentis ein wahres monſtrum vocabuli, welches in vera ſua ſignificatione kein anders im-

 por-

portirt als einen Geiſtlichen / der keinen andern in eodem gradu neben ſich leiden kan oder wil / ſondern ein Director und Superintendens ſeu Epiſcopus ſupremus omnium reliquorum Epiſcoporum ſeyn / welches entweder ein formalis deſcriptio deſz Röm. Papſts iſt / oder dennoch auffs wenigſte niemand anders / als der Land-fürſt dadurch verſtanden werden kan / ꝛc. Et in Ducatu Lüneburgenſi hos ſuperbos, & nil niſi ambitionem militarem ſpirantes titulos exulare nunc audio, & qui non ita pridem Generalis vocabatur, nunc Ober, Superintendens audit. Quod benè quidam Conſiliaris Principum de præcedentia, *ô deſperatum ſeculum!* movent controverſiam, nil dicam. Utinam hi homines vel juventutis ſuæ tempora, vel Mariæ Canticum, in memoriam revocarent, & mundanis hiſce ac vanis honoribus miſsis, eò conſiliorum & actionum dirigerent curſum, ne ſuis aliquando in regno cœlorum à ſiniſtris ſtare cogantur æditui.

Inter ipſos autem Clericos Superintendentem primum locum obtinere, oppidanos præcedere debere paganos, eoſque qui in ſuburbiis habitant, nemo eſt, qui facilè dubitaverit.

Nunc de ſalario Paſtorum, quod ipſis omninò conſtituendum. Iniqui enim ac rigoroſi ſunt fratres Waldenſes & Anabaptiſtæ, ſtipendia

pendia eorum in dubium vocantes: Illi ſiquidem Paſtores ad operas manuarias, ut hiſce ſibi victum parent, ſeverè adſtringunt. Cum his autem, quoniam eoſdem Paulus Apoſtolus *in I. ad Corinthios epiſtol. cap. IX* & Catholicus Chriſtianorum uſus ſatis ſuperque refutat, non diſputabo. Scias autem L. B. in Germania rationem eorundem ſalariorum eſſe diverſiſsimam. In civitatibus quidem Mercurio vel Apollini conſecratis lauta & opima eſt ipſorum conditio, ut cum ſtupore nonnunquam eoſdem rerum affluentia, vaſtium ſplendore, menſarum luxuria, congerie vaſorum aureorum & argenteorum exuberare videas. In oppidis verò, villis & pagis miſerrimè exagrorum, *quos ipſi bobus ſuis ſæpè exercere debent*, fructibus & panibus, *quos minutiſſimos ut plurimum vel ex viliori frumento & glumis piſtos ruſtici porrigunt*, auram trahere coguntur vitalem. Decimas quoque, ſuſtentationi illorum à pia & veneranda antiquitate conſecratas, adinſtar militum, Chriſti tunicam in tot fruſta ſecantium inter ſe potentiores diviſêre. Et horum ego ſæpè miſertus ſum: Poſtquam enim, egeſtatis in vita ſatis deguſtârunt lacinias, multaque adverſa perpeſsi, ne quidem poſt obitum fortunæ ludibrio exempti eſſe potuerunt. Præter paucas enim Poſtillas alioſque concionatorios libros numeroſam reliquêre prolem, panem non rarò ſtipite quærentem. Siliceum itaque oportet geſtare pe-

 ctus,

ctus, horum qui non ducatur miſericordia, ipſisque non tam verbis, quàm re faveat. Laudandum inde per omnem poſteritatem, quod horum emolumentum, vigilanti ſemper reſpicit oculo, & nunquam non ſuam erga illos declarat magnificentiam Sereniſſimus Dux Saxo-Gothanus, Dominus Erneſtus, Ejusque ſingulari cura ac prudentia fiſcus conſtitutus, in quem omnes Paſtores ſuarum ditionum exiguum quotannis deponunt ſymbolum, quod iis fato concedentibus, viduæ ac liberi eorum in ſolatium cum lucro recipiunt. Quomodo ulteriùs ipſorum conditio melior ſit facienda, in publicum jam deliberare haud opus eſt.

Nunc à quo & ob quas cauſas Paſtores ab officio removeri poſſint, paucis etiam dicam, Hoc jus quidem ſibi quandoque Senatus oppidani & nobiles in pagis, *ceu Patroni*, arrogant: intolerabili ſanè & noxio auſu: Sæpe enim numero fit, ut Eccleſia fidelibus orbetur Paſtoribus, qui cum tremore ac perpetuo remotionis metu officium ſuum facere, aut ad placitum Patronorum vivere ac docere coguntur. Omnium itaque tutiſſimè Principes hoc jus ſuis Conſiſtoriis reſervarunt. Removeri autem tunc poſſunt, ſi quicquam officio ſuo faciunt contrarium: Quale autem ſit ipſorum officium, modò dictum eſt.

Cum quoque Academiarum, ut & Scholarum, trivialium & oppidanarum cura & admini-

miniſtratio ad jura pertineat Epiſcopalia, & de his quædam dicam. Sciendum autem nullum in Germania Principem, abſque conſenſu Imperatoris, Academiam fundandi jus habere: Quod licet exigui prima fronte videatur momenti: Qnantum tamen illi recumbat rerum Civilium peritis ignotum eſſe non poteſt. An autem prudenter in magnis emporiis Germaniæ Principes fundârint Academias, diverſa ſunt inter Politicos judicia. Negantes allegant (1.) frequentiam nundinarum, quæ animos non ſolùm Studioſorum à ſtudiis avocant: Sed & diligentiam, *quæ aliàs ſat exigua eſt*, interrumpit docentium. (2.) Quod ut plurimum Muſarum aſcriptitii ac mercatores eorumque famuli in contrarias ſcindantur, & non rarò à verbis ad verbera deſcendant: Dum hi divitiarum, *neſcio quo titulo nonnunquam acquiſitarum*, fulgore tumidi Studioſos, *quorum laxiſſimi ut plurimum ſunt loculi*, in conviviis nuptialibus aliiſque conventibus publicis, evaginatis proſequuntur linguis ac propudioſo dedecore afficiunt. Ajentes præterquam quod his occurri poſſit incommodis, ſexcenta in medium proferunt commoda: Converſationem ſcilicet cum exteris, civilitatem morum, atque ſelectam librorum copiam, earum, quæ in Collègiis docentur ac diſcuntur, rerum praxin & experientiam &c. Quæ rationes fortè Sereniſſimum Holſatiæ Principem, ut Chilonii urbe ditionis ſuæ primaria & ob mercatum valdè celebri, ante

tres annos erexerit Academiam, moverunt, quæ cum in omnibus Facultatibus viros nacta ſit paſſim celebres, quin evidens brevi tempore ſit ſumptura incrementum, nullus dubito. Lipſiam quoque, celebrem illam nundinis Myſorum civitatem, hactenus haud infeliciter & Apollini & Mercurio ſedem præbuiſſe, teſtis eſt experientia. Et Auſici quamvis à Studioſis diverſum habeant genium, eoſdem tamen uno eodemque in loco commorari poſſe, me certum facit antiqua & celebris Heidelbergenſium univerſitas, cui tantum abeſt ut obſit, non minimum ſplendoris ac incrementi à verè magnifica Electorali aula accreſcere videmus. Videns etiam hoc Sereniſsimus Dux Vinarienſis Dominus Bernhardus II. in Salana Univerſitatum Germanicarum populoſisſima, principalem ſedem figere, haud veritus eſt: in quo Principe quantus heroicarum virtutum, Comitatis potisſimùm radiat ſplendor, nullus niſi qui ſuis ipſe uſurpavit oculis, fidem adhibet, omniumque ſuffragio, ni Princeps natus ad ſolium illud votis evehendum, dignus judicatur.

Jam autem, tempori inſerviens, de Profeſſoribus, à quo illi conſtituendi, quantus illorum eſſe debeat numerus, & quinam in nobilem illum coaptandi ſint ordinem, nil dicam. Regimen Academicum quod attinet, illud licet ſit Ariſtocraticum, non tamen uno eodemque ubivis Rector creatur electionis

nis genere. In Germania Studioſis electio- nem ejuſdem, *præterquam Baſileenſibus*, competiiſſe nullibi legitur : Sed ut plurimùm eundem hodiè vel ſoli Profeſſores, vel unà cum ipſis Magiſtri & Doctores in Academia illa creati, (ceu Lipſiæ fieri memini) juxta ſeriem Nationum eligunt. In quibuſdam autem Academiis, ut Helmſtadienſi, & quæ hanc imitatur, Chilonienſi Pro-Rectores ſaltem creantur, illuſtre Rectoris nomen Principes, illarum Fundatores ac Nutritios per vices ſibi tantùm, attribuentes. Et quantæ illud dignitatis res ſit, exinde patet, quòd Ducibus nonnunquam aliiſque Illuſtribus in Academia literis operam navantibus perſonis, Rectoris deferatur titulus, creato tamen Pro-Rectore, qui Studioſos in Album recipiat, & de negotiis juriſdictioni ſuæ ſubjectorum cognoſcat. Si autem prudentiâ ullum imperantem, Rectorem certè eadem inſtructum eſſe oportet; Illis enim non cum abjectæ mentis hominibus, ſartoribus aut ſutoribus, ſed cum feroſi variæ non ſolùm ætatis, ſed & variæ fortunæ ac generis multitudine, *quæ non tàm cogi, quàm perſuaderi vult*, res eſt. Quàm ridiculæ faſces Academiarum ſuperbis quibuſdam Ethicarum, Phyſicarum ac Metaphyſicarum tabularum Magiſtris ſeu doctoribus tenentibus, contigerint hiſtoriæ, lippis ac tonſoribus notum eſſe putamus. Et tamen illi omnes Excellentis titulo, licet fama illorum nonnunquam

 ultra

ultra mœnia oppidi ſe vix extendat, volunt honorari. Taceo illos, qui Excellentis titulum faſtidiunt, & magnifici, *ô miſera magnificentia!* appetunt nomen.. [NB. Vid. addend. pag. Non poſſum autem non ſummis deprædicare laudibus prudentem Juliæ legem, quæ nullæ, niſi qui per ſeptem annos Profeſſorio cluit munere, Rectoralem purpuram induere, permittit.

De Pennaliſmo nil dicam, quippe qui, poſt notabilem illum Jenæ Anno 1660. *ex levibus cauſis* ortum, ſed *lamentabili eventu coronatum* tumultum, ubi aliquot Studioſi *temerario* ab oppidanis *auſu* globis tranſverberati, quidam, poſtea, *qui fax & tuba videbantur*, Vinariam *Principali juſſu* captivi ducti, Orco conſecratus & ex omnibus Academiis *concordi Principum decreto* exulare juſſus eſt: Cujus licet maximus fuerit abuſus, aliquem tamen quin habuerit uſum, nemo prudens ire poteſt facile inficias. Et hiſce abrumpo, de Gymnaſiorum aliarumque Scholarum provincialium, fundationibus, conſervationibus & deſtructionibus, alio tempore dicere mihi reſervans.

CAP.

CAP. VI.

De poteſtate ordinandi ea, quæ faciunt ad rerum ſufficientiam, quatenus Principibus Germanicis competat.

DE poteſtate deliberandi de importandis & exportandis, an ſingulis Principibus competat, an verò inter Imperatorem & ſingulos Status ſit diviſa, obſcurum prima fronte videtur. Nonnulla enim hujus generis tum in Imperialibus Conſtitutionibus, tum in primis in ordinatione politica Francofurtenſi, ſtatuta ſunt, quæ alia importari in Imperii Regiones, alia in peregrinas terras evehi communi Imperatoris & Statuum conſilio, vetantur. Pleraque tamen hodiè ad ſingulos Status, ut ea in ſuis ditionibus rectè curent, rejiciuntur. Benè, an malè, difficile ſanè eſt judicatu. Nobiliſſimus Dominus Ludolphus Hugo, acerrimi judicii JCtus & Conſiliarius Hanover. *in Diſſert. Inaugural. de Statu Regionum Germaniæ cap.* 3. §, 14. judicat de commerciorum jure publica autoritate in Comitiis eſſe deliberandum, eaque cauſâ legationes ad exteros Reges & Reſpublicas eſſe mittendas; interdum etiam, ſi opus foret, armis defendendum. *Sed quoniam*, inquit, *Reſpu-*

blica noſtra non ita conſtituta eſt, ut hoc, qua par erat, diligentia, curare poſſit (vix enim, quæ in medio poſita, tuemur, nedum ad hæc longinqua adſpiremus) iterum qua parte Imperium deficit, ſingulorum ordinum cura & officium ſuccedit. Unde Principibus facultas prohibendi competit, non ſolùm ne extra Imperium aliquid evehatur, ſed etiam ne exportatione annonæ aliarumve rerum in regiones vicinas, licet Imperio ſubditas, neceſſaria ſuis ditionibus ſubducantur, vel inde ſuperflua invehantur, & privatorum opes exhauriantur. Quid immortali laude dignus Dux Holſatiæ ſumtuoſa illa Legatione Perſica tentaverit, in recenti memoria eſt. Qua de re infra cap. X. pluribus.

Hinc fluit quoque Poteſtas cudendi monetam; Cujus enim eſt diſponere de importandis & exportandis, illorum quoque eſſe debet diſponere de re monetaria; Nummus enim eſt inſtrumentum illud abſque quo neque commercia neque commutationes fieri poſſunt, & per conſequens neque exportari, neque importari, ſed Principum eſt diſponere de importandis & exportandis. Erg: Hinc in jure Feudali jus cudendi monetam rectè inter majora Regalia refertur, neque ulli Principi, ſive ſit Dux, ſive Landgrafius, ſive Marchgravius, ſive Comes, ſive Baro, poteſtas monetandi denegari poteſt. Errant itaque graviſſimè, qui hodie jus monetandi, quo Principes utuntur, pro beneficio ſaltem & privilegio ab Impera-

peratore Principibus conceſſo reputant. Olim quidem non omnes Principes, ſed certi quidam, qui vulgò Müntz-Stände vocabantur, hoc jure gaudebant: Aſt jus monetandi hodiè adeò multorum commune factum eſt, ut non immeritò privilegii naturam depoſuiſſe, ſtatuere poſſim. Quomodo enim quæſo id ipſum, cujus omnes ſunt participes, privilegium vocari poteſt? Hodiè ſiquidem ordines Imperii non ſolùm omnes, ſed etiam Principibus ſubjectæ civitates, *quamvis non ſine ſummo errore & imprudentia ſtatuum*, nactæ ſunt. Moneta enim reproba haud inter poſtrema mala eſt, quibuſcum ſatis diu in Imperio noſtro conflictati ſumus. Diu quidem eſt, quòd remedia huic malo quæſita ſint & medica manus adhiberi cœperit: Sed fruſtrà. Audio hac de re iterum in modernis deliberari Comitiis, quonam ſucceſſu me hactenus latuit. Nec dubito Principes ſalva conſcientia hoc jus monetandi provincialibus civitatibus aliiſque ſibi ſubditis eripere poſſe, fruſtrà poſſeſſionis ſuæ titulis, Donatione videlicet & Præſcriptione, illis allegantibus. Nam ſi hoc jus habent ex Donatione, Donationem illam factam eſſe oportet vel ab Imperatore, vel à Principe. Si ab Imperatore facta, illam Donationem minimè ſervare tenentur Principes, cum Imperator nullius Principis ſubditis, invito Principe, privilegium quoddam aut beneficium, poteſtatem & dignitatem Principis diminuens, concede-

re poſſit. Si à Principibus facta; quin iterum ab illis revocari poſſit, nullum eſt dubium. Jure Romano enim non ſolùm, ſed & naturali, permiſſum eſt, privatis hominibus revocare donationem, ſi vel donatorius fiat ingratus, vel donans grave quoddam ex illa donatione ſentiat damnum. Hinc multò magis Princeps Majeſtate pollens, ſi ex donatione illa damnum, vel antea non prævisum, vel ab intimo Conſiliario diſſimulatum, ſentiat, revocare eandem poterit. Jàm verò ex hac donatione redundat damnum non ſolùm in Principes, ſed & in integrum Imperium Germanicum. Ergo quin revocari iterum à Principibus poſſit, ampliùs non eſt dubitandum. Et licet à Principum Majoribus hoc jus conceſſum habeant, illud tamen moderni Principes imperantes ſervare haud ſunt obligati. Nam immodicæ conceſſiones, quibus honor & opes Principatuum atteruntur, nullam vim ſucceſſori injiciunt obligatoriam, rectè docente Zevecotio *ad Flor. lib. I. cap.* 13. Hinc, cùm Chriſtina regno Sueciæ ſe abdicaret, omnia bona, aliæque opes, quas prodiga dilapidaſſet liberalitate, fiſco iterum Regio adjudicata ſunt. Plura poſſem recentia in medium producere exempla, ſed quia eadem omnibus nota partim, partim odioſa ſunt, iis recenſendis ſuperſedeo.

Omnium autem abſurdiſſimi ſunt, qui contra Principes allegare volunt titulum præſcriptionis. Uſucapio enim & præſcriptio à

Le-

Legumlatoribus Romanis ad coërcendam civium negligentiam eſt inventa: cum enim Reipublicæ interſit dominia rerum eſſe certa & diſtincta, docente Ariſtotele *lib. 2. Polit. cap. 2.* Romani dominiorum certitudinem, aliter non, quàm uſucapione introducta, obtineri poſſe cenſuerunt. Hinc certum conſtituerunt tempus (*mobilibus quidem brevius, immobilibus longius: Sed abſurdè: mobilibus potiùs longius ponere debuiſſent tempus: quia res mobiles difficilius inveſtigari poſſunt, ut alibi demonſtrabo*) intra quod quivis in res ſuas & jura ad ſe pertinentia inquireret; quo tempore elapſo, alter ſibi acquiſitas quietè & ſecurè teneret. Qua poſita & ab omnibus Juris Civilis Doctoribus conceſſa hypotheſi, ſequitur abſurdum eſſe, titulum Uſucapionis velle contra Principem allegare: Nam ſubditus Principis negligentiam coërcere nequit. Hinc argumentum eſt tale: Quorum negligentiam in rebus & juribus cuſtodiendis commiſſam coërcere non licet, contra illos quoque non curret uſucapio vel præſcriptio; Atqui Principum negligentiam ſubditi coërcere nequeunt: Principes enim habent Majeſtatem, & per conſequens ab omnium legum Civilium coërcitione ſunt immunes. Ergò. Conſentit mecum Gajus JCtus *in lib. 9. ff. de uſurpatione & uſucapione.* Uſucapionem, inquirens, recipiunt maximè res corporales, exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis, populi

Romani

Romani & Civitatum, item liberis hominibus. Et licet hæc lex loquatur de Romano Imperio, quod à noſtro toto cœlo differt, quin tamen ex illius legibus (ſi ſcilicet eadem ſubſit ratio) ad noſtrum Imperium nonnunquam bonum duci poſſit argumentum, non poteſt vocari in dubium. Nam ratio, cur res Romanorum publicæ uſucapi non poterant, erat hæc, quia tum temporis, *ſtatu exiſtente Democratico*, Majeſtas erat penes populum. Simili igitur modo nec hodiè res & jura Principum Germanorum, *quia illi etiam habent Majeſtatem*, uſucapi poſſunt à privatis. Nec mihi objici poteſt Grotius, quem aliàs ob admirandam doctrinam ſemper magni facere ſoleo, ejuſque aureum librum de jure Belli ac Pacis poſt Scripturam S. Corpus Juris & Ariſtotelem, inter optimos autores refero, ubi *lib. 2. cap. 5.* ſtatuit; Uſucapionem eſſe naturalis juris. Quo poſito, ſequitur contra me: Principibus etiam à privatis opponi poſſe titulum uſucapionis, cum Principes etiam naturali & Divino juri ſint ſubjecti. Aſt uſucapionem non eſſe naturalis juris, Imperator Juſtinianus non ſolùm, in *pr. Inſtit. de uſucap.* fatetur, ſed & multi alii Doctores, *Topicis quamvis & Dialecticis argumentis* probant. Liceat itaque & mihi contra Grotium, ſalva tamen ſummi illius Viri & à me ſemper reverenter habita autoritate, argumentari hunc in modum: Quodcunque inſtitutum traxit originem ex malè ordinata

civi-

civitate, & præterea querelas potiùs auget, quàm minuit, illud non poteſt eſſe fundatum in naturali jure: Atque uſucapio eſt tale inſtitutum, Ergò. Major apud Politicos eſt extra controverſiam. Minorem, *quoad primam partem*, probo ex Ariſtotele *lib*. 6. *Polit. cap*. 8. ubi agit de Magiſtratuum conſtitutione, dicens: in benè ordinata civitate debere etiam eſſe Magiſtratuum, coram quo privati contractus ſuos inſtituant, quique diligenter ea, quæ inter eos geruntur, ad acta referat, omnemque det operam, ne quis contrahentium lædatur. Hoc autem Magiſtratu cùm deſtituerentur Romani, apud eos dominia in incerto fuiſſe, non eſt mirandum. Inde ex neceſſitate uſucapionum jura à Legumlatoribus introducta ſunt, ne dominiorum incertitudo damna pareret. Rectiùs autem longè & naturali juri planè convenientibus huic malo mederi potuiſſent, ſi coram Magiſtratu contractus majoris momenti inſtitui juſſiſſent. Ita enim non ſolùm facilè potuiſſet ſciri, quæ res ad quem pertinerent dominum, ſed & evitarentur quæ circa hypothecas contingere ſolent deceptiones, nec opus eſſet regula illa: Qui prior tempore, potior jure: Quæ multos ſæpè creditores non ſine maximo ab hypotheca excludit damno. In Feudis manifeſtum eſt hujus rei exemplum: Neque enim in eis tanta eſt incertitudo atque in aliis rebus, ſcirique facilè poteſt ad quem pertineant. Quippe non licet

teme-

temerè Vaſallo alienare feudum ſuum, ſed conſenſum priùs impetrare tenetur domini. Non poſſum itaque non ſummis deprædicare laudibus Sereniſſimorum Principum Saxonicorum jus, quod, ne contractus de rebus immobilibus valeant, niſi confirmati à Magiſtratu illius loci, ſtatuit. Vid. Dn. D. Struv. *Ex XL. theſ.* 11. Hinc in Saxonicorum Principum territoriis, JCti Romanorum de uſucapione latis non multùm indigent legibus. Quòd autem uſucapio augeat potiùs, quàm minuat quærelas, poſt alios Doctores accuratè etiam demonſtratum dedit ſæpè laudatus D. Joh. à Felde *in not. ad Grotium d. l.*

Ad rerum ſufficientiam cùm Nundinæ faciant, harum conceſſio an & quatenus ad Principes Germaniæ ſpectet, paucis inquiram. Sunt autem Nundinæ vel ſolennes ſeu univerſales; quales ſunt in Germania Francofurtenſes, Lipſienſes, Numburgenſes, &c. Vel minùs ſolennes ſeu particulares, **gemeine Jahr-Märckte**: Illarum conceſſio ad ſolum Imperatorem ſpectat. Et hoc jus ſolennium nundinarum jure Francorum penes Reges fuiſſe, probat privilegium Caroli M. Monaſterio S. Germani de Pratis jus mercati villæ Madriolarum. Subſequentes verò Imperatores illud jus pro derelicto non habuiſſe, privilegia nundinarum Francofurtenſibus, Argentoratenſibus, Lipſienſibus, Numburgenſibus, &c. conceſſa dubitandi anſam

adi-

adimunt. Imperator autem civitati privilegium nundinarum, niſi adjacentium & vicinarum civitatum Dominis, quorum intereſſe poſſet, auditis, dare non poteſt, ut multis probat Dn. Ahaſverus Fritſchius, Conſiliarius Schvvarzburg. *de Nundin.* c. 4. §. 9. Notabile eſt civitatis Lipſienſis nundinarum ac ſtapulæ privilegium, quod ab Imperatore Maximiliano I. mediante Ducis Saxon. Domini Georgii interceſſione Anno P. C. N. 1507. obtinuit, ne intra quindecim milliaria circa urbem nundinas inſtituere liceat, quod privilegium à Carolo V. Ferdinando I. & Ferdinando III. renovatum laudatus Fritſchius teſtatur. Imò à moderno Auguſto Imperatore Leopoldo ante aliquot annos confirmatum eſſe, mihi à magno Amico relatum eſt. Irritum itaque Reverendiſſimi Electoris Moguntini, *ſi ulla adhuc eſt legum in Germania vis*, erit conſilium, qui urbi ſuæ, noviter in Thuringia partæ, hoc jus ab Imperatore, *prout fama ſæpè fallax fert*, impetrare nititur. Caveant interea ſibi Lipſienſes, ne mercatores vectigalibus aliiſque oneribus nimis premendo; ſe hujus privilegii, *quod multi ſanè contorſis adſpiciunt oculis*, indignos faciant, illudque Dn. Electori, *prudentia & viribus præ reliquis ſatis inſtructo*, Erfurtenſibus ſuis conſequendi viam muniant. Sed manum de tabula.

Minùs ſolennes ſeu particulares quod attinet nundinas, illæ abſque Imperatorum conſenſu

ſenſu à quolibet Principe civitatibus ſibi ſubjectis concedi poſſunt. Ita Sereniſſimus Saxoniæ Elector ſuperioribus annis conceſſit Lipſienſibus mercatum animalium, einen Vieh-Marckt / fruſtrà contra nitentibus Budſtadienſibus. Mercatus verò hebdomales, die Wochen-Märckte/ quando ruſtici ex vicinis pagis adventantes in foro civitatis annonam & alia ad victum neceſſaria venum exponunt, illi non ſolùm à Principibus, ſed & à municipalibus civitatibus, Principum indultu, inſtitui poſſunt. Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de nund. n. 2.*

Poſtarum jus ad Principes quoque Germ. ſpectat, qui de eo in provinciis ſuis diſponendi liberrimam habent poteſtatem. Totius autem Imperii Poſtis præfecti ſunt Comites de Taxis, *hodiè Lamoralius Claudius Franciſcus*, Bruxellis habitantes, qui hoc officium ab Imperatore in feudum recognoſcunt, & vocantur Erb-General Reichs-Poſtmeiſter/ qui officium Poſtarum in celebribus Germaniæ urbibus, Francofurti, Argentorati, Coloniæ, Viennæ, Bremæ, Hamburgi, Auguſtæ Vindelic. Norimbergæ, Rheinhuſæ &c. per ſuos Adminiſtros, vulgò Poſtmeiſter / certa mercede conductos, ſervitia præbent. Hinc factum eſt, ut, cum Anno 1579. Dux quidam Germaniæ Poſtas generales in Belgium & Italiam diſpoſuiſſet, ab Imperatore Romano hoc ipſum ſeverè interdictum,

dictum fuerit, idque pro tuitione Juris ſui Regalis, referente Clapmar. *de Arcan. Rerumpubl. lib.* 1. *cap.* 21. *circa fin.* & Limnæo *lib.* 1. *J. P. cap.* 9. *num.* 133. In ſuis verò hæreditariis provinciis ſupremum Poſtarum Magiſtrum Imperator conſtituit Comitem de Baar. Quem reliqui Electores & Principes ſequentes, eodem jure in provinciis ſuis utuntur. Et omninò intereſt, eaſdem benè ordinatas eſſe, ne peregrinantes & literarum per varia terrarum loca exercentes commercia nimiùm onerentur. De quo malo hodiè plurimæ & doctorum & mercatorum audiuntur querelæ.

CAP. VII.

De Conſtitutione Magiſtratuum Principibus Germanicis competente.

NUnc de Magiſtratibus. Et horum quoque tàm militarium quàm civilium, eorumque vel Eccleſiaſticorum vel Secularium conſtitutionem ad ſingulos Principes in ſuis territoriis pertinere facilè apparet. In civitatibus quidem Principi ſubjectis ſolent vel cives vel reliqui Senatores eligere Conſules, Ædiles, Prætores alioſque Magiſtratus vel neceſſarios vel minùs neceſſarios, eorundem tamen confirmatione ſemper reſervata Principi,

cipi, ut infrà capite ultimo dicetur. Quod autem Magiſtratuum ſeu Officialium genera hodiè in Principatibus reperiantur, & quidnam ſingulis vi officii facere incumbat, accuratè monſtravit Illuſtris & nunquam ſine honoris titulo nominandus Dominus à Seckendorff, in Teutſchen Fürſten-Staat/ ad quem L. B. remitto. Ego pauca ſaltem, de quibus hodiè in Academiis non ſolùm ſed & Curiis quibuſdam Principum diſputatum recordor, adducam. Primarium ſine dubio poſt Pro-Principes, *quorum miniſterio tamen præter Sereniſſimum Brandeburg. Electorem paucos uti ſcio.*, in aulis Principum obtinent locum Conſiliarii Status, tum ob illorum dignitatem, tum neceſſitatem; quamvis enim in omnibus Rebuſpublicis eorum magna ſit neceſſitas, major tamen, quàm in Ariſtocratia vel Oligarchia, eorundem eſt in Monarchia. Nam in Monarchia unus Imperio præeſt: Unus verò tantæ molis vix capax videtur. Hinc ipſe Tiberius apud Cornelium Tacitum *lib.* 1. *Annal. cap.* 11. ſe in partem curarum à D. Auguſto vocatum, dicit, experiundo didiciſſe, quàm arduum & ſubjectum fortunæ cuncta regendi onus. Quoſnam autem in partes Conſiliorum vocare debeat, an Nobiles genere, nec ne, jam dudum diſputatum à Politicis. Et quamvis interſit Reipublicæ, omnibus bonis ad dignitates aditum patere; nihilominùs tamen ſi ſimul optimi ſint generoſi & nobiles plebeis propter autori-
rita-

ritatem præferendos, omnium Rerumpubl. & Principatuum Germ. Praxis confirmat.

An Jctos an Politicos, & an hactenus Germani prudenter Reipublicæ adminiſtrationem Jctis commiſerint, non ſolum inter duos quoſdam Profeſſores, ob doctrinæ & eruditionis in omni ſcientia laudem undiquaque Celeberrimos, controverſum eſt; ſed & non ita pridem hac de re in arcano cujuſdam Principis conſilio deliberatum eſſe, ab amico quodam mihi relatum eſt. Salva ſummorum horum virorum authoritate, judicioque prudenti Lectori relicto, rationes illorum ſaltem in medium proferam. Malè hactenus commiſſam eſſe Reipublicæ adminiſtrationem Jctis, alter has adduxit rationes: Quod mirum Conſiliarii Status officium ſit, nihil omittere eorum, quæ faciunt ad Reipublicæ conſervationem: Quamvis autem, nullo negante, leges ferantur in Rerumpublicarum ſalutem, eaſque Jcti interpretentur, Jctos tamen ignorare an ne eædem Reipublicæ utiles ſint nec ne. Et poſito illos hoc ſcire, eo ipſo tamen Reipublicæ regendæ non aptos ſtatim fieri: Multa enim eſſe, quorum in Republica uſus eſt, legibus tamen non definita: Imò præter & contra leges multa committi, eoque in ſingulis Rebuſpublicis plurima in deliberationem venire, & longè maxima agenda eſſe, accurata quadã prudentia, quæ ex legibus peti nequeat. Imò multos legum ignaros antecellere in conſilio dando nonnunquam etiam

iis,

re poſſit. Si à Principibus facta; quin iterum ab illis revocari poſſit, nullum eſt dubium. Jure Romano enim non ſolùm, ſed & naturali, permiſſum eſt, privatis hominibus revocare donationem, ſi vel donatorius fiat ingratus, vel donans grave quoddam ex illa donatione ſentiat damnum. Hinc multò magis Princeps Majeſtate pollens, ſi ex donatione illa damnum, vel antea non prævifum, vel ab intimo Conſiliario diſſimulatum, ſentiat, revocare eandem poterit. Jàm verò ex hac donatione redundat damnum non ſolùm in Principes, ſed & in integrum Imperium Germanicum. Ergo quin revocari iterum à Principibus poſſit, ampliùs non eſt dubitandum. Et licet à Principum Majoribus hoc jus conceſſum habeant, illud tamen moderni Principes imperantes ſervare haud ſunt obligati. Nam immodicæ conceſſiones, quibus honor & opes Principatuum atteruntur, nullam vim ſucceſſori injiciunt obligatoriam, rectè docente Zevecotio *ad Flor. lib. I. cap.* 13. Hinc, cùm Chriſtina regno Sueciæ ſe abdicaret, omnia bona, aliæque opes, quas prodiga dilapidaſſet liberalitate, fiſco iterum Regio adjudicata ſunt. Plura poſſem recentia in medium producere exempla, ſed quia eadem omnibus nota partim, partim odioſa ſunt, iis recenſendis ſuperſedeo.

Omnium autem abſurdiſſimi ſunt, qui contra Principes allegare volunt titulum præſcriptionis. Uſucapio enim & præſcriptio à

Le-

Legumlatoribus Romanis ad coërcendam civium negligentiam eſt inventa: cum enim Reipublicæ interſit dominia rerum eſſe certa & diſtincta, docente Ariſtotele *lib.* 2. *Polit. cap.* 2. Romani dominiorum certitudinem aliter non, quàm uſucapione introducta, obtineri poſſe cenſuerunt. Hinc certum conſtituerunt tempus (*mobilibus quidem brevius, immobilibus longius: Sed abſurdè: mobilibus potiùs longius ponere debuiſſent tempus: quia res mobiles difficilius inveſtigari poſſunt, ut alibi demonſtrabo*) intra quod quivis in res ſuas & jura ad ſe pertinentia inquireret; quo tempore elapſo, alter ſibi acquiſitas quietè & ſecurè teneret. Qua poſita & ab omnibus Juris Civilis Doctoribus conceſſa hypotheſi, ſequitur abſurdum eſſe, titulum Uſucapionis velle contra Principem allegare: Nam ſubditus Principis negligentiam coërcere nequit. Hinc argumentum eſt tale: Quorum negligentiam in rebus & juribus cuſtodiendis commiſſam coërcere non licet, contra illos quoque non curret uſucapio vel præſcriptio; Atqui Principum negligentiam ſubditi coërcere nequeunt: Principes enim habent Majeſtatem, & per conſequens ab omnium legum Civilium coërcitione ſunt immunes. Ergò. Conſentit mecum Gajus JCtus *in lib.* 9. *ff. de uſurpatione & uſucapione.* Uſucapionem, inquirens, recipiunt maximè res corporales, exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis, populi

Romani

Romani & Civitatum, item liberis hominibus. Et licet hæc lex loquatur de Romano Imperio, quod à noſtro toto cœlo differt, quin tamen ex illius legibus (ſi ſcilicet eadem ſubſit ratio) ad noſtrum Imperium nonnunquam bonum duci poſſit argumentum, non poteſt vocari in dubium. Nam ratio, cur res Romanorum publicæ uſucapi non poterant, erat hæc, quia tum temporis, *ſtatu exiſtente Democratico*, Majeſtas erat penes populum. Simili igitur modo nec hodiè res & jura Principum Germanorum, *quia illi etiam habent Majeſtatem*, uſucapi poſſunt à privatis. Nec mihi objici poteſt Grotius, quem aliàs ob admirandam doctrinam ſemper magni facere ſoleo, ejuſque aureum librum de jure Belli ac Pacis poſt Scripturam S. Corpus Juris & Ariſtotelem, inter optimos autores refero, ubi *lib. 2. cap. 5.* ſtatuit; Uſucapionem eſſe naturalis juris. Quo poſito, ſequitur contra me: Principibus etiam à privatis opponi poſſe titulum uſucapionis, cum Principes etiam naturali & Divino juri ſint ſubjecti. Aſt uſucapionem non eſſe naturalis juris, Imperator Juſtinianus non ſolùm, in *pr. Inſtit. de uſucap.* fatetur, ſed & multi alii Doctores, *Topicis quamvis & Dialecticis argumentis* probant. Liceat itaque & mihi contra Grotium, ſalva tamen ſummi illius Viri & à me ſemper reverenter habita autoritate, argumentari hunc in modum: Quodcunque inſtitutum traxit originem ex malè ordinata civi-

civitate, & præterea querelas potiùs auget, quàm minuit, illud non poteſt eſſe fundatum in naturali jure: Atque uſucapio eſt tale inſtitutum, Ergò. Major apud Politicos eſt extra controverſiam. Minorem, *quoad primam partem*, probo ex Ariſtotele *lib. 6. Polit. cap.* 8. ubi agit de Magiſtratuum conſtitutione, dicens: in benè ordinata civitate debere etiam eſſe Magiſtratuum, coram quo privati contractus ſuos inſtituant, quique diligenter ea, quæ inter eos geruntur, ad acta referat, omnemque det operam, ne quis contrahentium lædatur. Hoc autem Magiſtratu cùm deſtituerentur Romani, apud eos dominia in incerto fuiſſe, non eſt mirandum. Inde ex neceſſitate uſucapionum jura à Legumlatoribus introducta ſunt, ne dominiorum incertitudo damna pareret. Rectiùs autem longè & naturali juri planè convenientibus huic malo mederi potuiſſent, ſi coram Magiſtratu contractus majoris momenti inſtitui juſſiſſent. Ita enim non ſolùm facilè potuiſſet ſciri, quæ res ad quem pertinerent dominum, ſed & evitarentur quæ circa hypothecas contingere ſolent deceptiones, nec opus eſſet regula illa: Qui prior tempore, potior jure: Quæ multos ſæpè creditores non ſine maximo ab hypotheca excludit damno. In Feudis manifeſtum eſt hujus rei exemplum: Neque enim in eis tanta eſt incertitudo atque in aliis rebus, ſcirique facilè poteſt ad quem pertineant. Quippe non licet teme-

temerè Vaſallo alienare feudum ſuum, ſed conſenſum priùs impetrare tenetur domini. Non poſſum itaque non ſummis deprædicare laudibus Sereniſſimorum Principum Saxonicorum jus, quod, ne contractus de rebus immobilibus valeant, niſi confirmati à Magiſtratu illius loci; ſtatuit. Vid. Dn. D. Struv. *Ex XL. theſ.* 11. Hinc in Saxonicorum Principum territoriis, JCti Romanorum de uſucapione latis non multùm indigent legibus. Quòd autem uſucapio augeat potiùs, quàm minuat quærelas, poſt alios Doctores accuratè etiam demonſtratum dedit ſæpè laudatus D. Joh. à Felde *in not. ad Grotium d. l.*

Ad rerum ſufficientiam cùm Nundinæ faciant, harum conceſſio an & quatenus ad Principes Germaniæ ſpectet, paucis inquiram. Sunt autem Nundinæ vel ſolennes ſeu univerſales; quales ſunt in Germania Francofurtenſes, Lipſienſes, Numburgenſes, &c. Vel minùs ſolennes ſeu particulares, gemeine Jahr-Märckte: Illarum conceſſio ad ſolum Imperatorem ſpectat. Et hoc jus ſolennium nundinarum jure Francorum penes Reges fuiſſe, probat privilegium Caroli M. Monaſterio S. Germani de Pratis jus mercati villæ Madriolarum. Subſequentes verò Imperatores illud jus pro derelicto non habuiſſe, privilegia nundinarum Francofurtenſibus, Argentoratenſibus, Lipſienſibus, Numburgenſibus, &c. conceſſa dubitandi anſam adi-

adimunt. Imperator autem civitati privilegium nundinarum, niſi adjacentium & vicinarum civitatum Dominis, quorum intereſſe poſſet, auditis, dare non poteſt, ut multis probat Dn. Ahaſverus Fritſchius, Conſiliarius Schvvarzburg. *de Nundin. c.* 4. §. 9. Notabile eſt civitatis Lipſienſis nundinarum ac ſtapulæ privilegium, quod ab Imperatore Maximiliano I. mediante Ducis Saxon. Domini Georgii interceſſione Anno P. C. N. 1507. obtinuit, ne intra quindecim milliaria circa urbem nundinas inſtituere liceat, quod privilegium à Carolo V. Ferdinando I. & Ferdinando III. renovatum laudatus Fritſchius teſtatur. Imò à moderno Auguſto Imperatore Leopoldo ante aliquot annos confirmatum eſſe, mihi à magno Amico relatum eſt. Irritum itaque Reverendiſſimi Electoris Moguntini, *ſi ulla adhuc eſt legum in Germania vis*, erit conſilium, qui urbi ſuæ, noviter in Thuringia partæ, hoc jus ab Imperatore, *prout fama ſæpè fallax fert*, impetrare nititur. Caveant interea ſibi Lipſienſes, ne mercatores vectigalibus aliiſque oneribus nimis premendo, ſe hujus privilegii, *quod multi ſanè contorſis adſpiciunt oculis*, indignos faciant, illudque Dn. Electori, *prudentia & viribus præ reliquis ſatis inſtructo*, Erfurtenſibus ſuis conſequendi viam muniant. Sed manum de tabula.

Minùs ſolennes ſeu particulares quod attinet nundinas, illæ abſque Imperatorum conſenſu

ſenſu à quolibet Principe civitatibus ſibi ſubjectis concedi poſſunt. Ita Sereniſſimus Saxoniæ Elector ſuperioribus annis conceſſit Lipſienſibus mercatum animalium, einen Vieh-Marckt/ fruſtrà contra nitentibus Budſtadienſibus. Mercatus verò hebdomales, die Wochen-Märckte/ quando ruſtici ex vicinis pagis adventantes in foro civitatis annonam & alia ad victum neceſſaria venum exponunt, illi non ſolùm à Principibus, ſed & à municipalibus civitatibus, Principum indultu, inſtitui poſſunt. Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de nund. n. 2.*

Poſtarum jus ad Principes quoque Germ. ſpectat, qui de eo in provinciis ſuis diſponendi liberrimam habent poteſtatem. Totius autem Imperii Poſtis præfecti ſunt Comites de Taxis, *hodiè Lamoralius Claudius Franciſcus*, Bruxellis habitantes, qui hoc officium ab Imperatore in feudum recognoſcunt, & vocantur Erb-General Reichs-Poſtmeiſter/ qui officium Poſtarum in celebribus Germaniæ urbibus, Francofurti, Argentorati, Coloniæ, Viennæ, Bremæ, Hamburgi, Auguſtæ Vindelic. Norimbergæ, Rheinhuſæ &c. per ſuos Adminiſtros, vulgò Poſtmeiſter/ certa mercede conductos, ſervitia præbent. Hinc factum eſt, ut, cum Anno 1579. Dux quidam Germaniæ Poſtas generales in Belgium & Italiam diſpoſuiſſet, ab Imperatore Romano hoc ipſum ſeverè interdictum,

dictum fuerit, idque pro tuitione Juris ſui Regalis, referente Clapmar. *de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. cap. 21. circa fin.* & Limnæo *lib. 1. J. P. cap. 9. num.* 133. In ſuis verò hæreditariis provinciis ſupremum Poſtarum Magiſtrum Imperator conſtituit Comitem de Baar. Quem reliqui Electores & Principes ſequentes, eodem jure in provinciis ſuis utuntur. Et omninò intereſt, eaſdem benè ordinatas eſſe, ne peregrinantes & literarum per varia terrarum loca exercentes commercia nimiùm onerentur. De quo malo hodiè plurimæ & doctorum & mercatorum audiuntur querelæ.

CAP. VII.

De Conſtitutione Magiſtratuum Principibus Germanicis competente.

NUnc de Magiſtratibus. Et horum quoque tàm militarium quàm civilium, eorumque vel Eccleſiaſticorum vel Secularium conſtitutionem ad ſingulos Principes in ſuis territoriis pertinere facilè apparet. In civitatibus quidem Principi ſubjectis ſolent vel cives vel reliqui Senatores eligere Conſules, Ædiles, Prætores alioſque Magiſtratus vel neceſſarios vel minùs neceſſarios, eorundem tamen confirmatione ſemper reſervata Principi,

cipi, ut infrà capite ultimo dicetur. Quod autem Magiſtratuum ſeu Officialium genera hodiè in Principatibus reperiantur, & quidnam ſingulis vi officii facere incumbat, accuratè monſtravit Illuſtris & nunquam ſine honoris titulo nominandus Dominus à Seckendorff, in Teutſchen Fürſten-Staat / ad quem L. B. remitto. Ego pauca ſaltem, de quibus hodiè in Academiis non ſolùm ſed & Curiis quibuſdam Principum diſputatum recordor, adducam. Primarium ſine dubio poſt Pro-Principes, *quorum miniſterio tamen præter Sereniſſimum Brandeburg. Electorem paucos uti ſcio.*, in aulis Principum obtinent locum Conſiliarii Status, tum ob illorum dignitatem, tum neceſſitatem; quamvis enim in omnibus Rebuſpublicis eorum magna ſit neceſſitas, major tamen, quàm in Ariſtocratia vel Oligarchia, eorundem eſt in Monarchia. Nam in Monarchia unus Imperio præeſt: Unus verò tantæ molis vix capax videtur. Hinc ipſe Tiberius apud Cornelium Tacitum *lib.* 1. *Annal. cap.* 11. ſe in partem curarum à D. Auguſto vocatum, dicit, experiundo didiciſſe, quàm arduum & ſubjectum fortunæ cuncta regendi onus. Quoſnam autem in partes Conſiliorum vocare debeat, an Nobiles genere, nec ne, jam dudum diſputatum à Politicis. Et quamvis interſit Reipublicæ, omnibus bonis ad dignitates aditum patere; nihilominùs tamen ſi ſimul optimi ſint generoſi & nobiles plebeis propter autorita-

ritatem præferendos, omnium Rerumpubl. & Principatuum Germ. Praxis confirmat.

An Jctos an Politicos, & an hactenus Germani prudenter Reipublicæ adminiſtrationem Jctis commiſerint, non ſolum inter duos quoſdam Profeſſores, ob doctrinæ & eruditionis in omni ſcientia laudem undiquaque Celeberrimos, controverſum eſt; ſed & non ita pridem hac de re in arcano cujuſdam Principis conſilio deliberatum eſſe, ab amico quodam mihi relatum eſt. Salva ſummorum horum virorum authoritate, judicioque prudenti Lectori relicto, rationes illorum ſaltem in medium proferam. Malè hacteaus commiſſam eſſe Reipublicæ adminiſtrationem Jctis, alter has adduxit rationes: Quod mirum Conſiliarii Status officium ſit, nihil omittere eorum, quæ faciunt ad Reipublicæ conſervationem: Quamvis autem, nullo negante, leges ferantur in Rerumpublicarum ſalutem, eaſque Jcti interpretentur, Jctos tamen ignorare an ne eædem Reipublicæ utiles ſint nec ne. Et poſito illos hoc ſcire, eo ipſo tamen Reipublicæ regendæ non aptos ſtatim fieri: Multa enim eſſe, quorum in Republica uſus eſt, legibus tamen non definita: Imò præter & contra leges multa committi, eoque in ſingulis Rebuſpublicis plurima in deliberationem venire, & longè maxima agenda eſſe, accurata quadā prudentia, quæ ex legibus peti nequeat. Imò multos legum ignaros antecellere in conſilio dando nonnunquam etiam

iis,

iis, qui legum omnium ſunt peritiſſimi. Rectius igitur, committi Politicis Rerumpublicarum adminiſtrationem, præterea firmat hoc fundamento: Quod Politicus ſit aptus omnibus omnino Rebuſpublicis adminiſtrandis, teneatque in univerſum omnium earum naturam & ſeu conſervandi, ſeu mutandi, ſeu inſtituendi ratione. Huic dogmati ſe ſtatim oppoſuit alter, demonſtrans plurimis, JCtis in Germania haud imprudenter Reipublicæ adminiſtrationem commiſſam eſſe. Cujus rationes hæ ſunt, quod is, qui in ſingularibus verſatus eſt, aptior ſit ad imperandum eo, qui nil niſi univerſalia novit. JCtos autem in ſingularibus magis occupatos eſſe, quam Politicos, qui in Academiis Compendia Politica (*raro ipſum Ariſtotelem*) prælegunt, non eſſe dubitandum. Deinde quod illis, qui leges diuturno uſu comprobatas nōrunt, uſumque earum ad quæ ſingulares caſus applicationem longa experientia didicerunt, tutius committatur imperium, quam illis, qui non niſi ex libris didicerunt, quid Reipublicæ in genere obſit vel proſit, in modo autem applicandi nonnunquam apertis caligant oculis. Nec eſſe novum, JCtis demandari Conſiliariorum munera, probat ex procemio inſtitutionum Juſtin. §. ult: Ubi pro fine Studii Juris imperandi dignitas ab Imperatore habetur. Alibi quoque demonſtratum dedit, illos veros JCtos non eſſe, qui ſaltem legibus quid conſtitutum ſit, ſciant, ignorantes,

num

num ſtatui Reipublicæ adverſæ, num ſalutares; num procul à jure illo, quod naturæ vocamus, remotæ, num ſecus. Hi ſanè, quos rectius Rabulas, quam Jctos appellaveris, ſi aliquis Reipublicæ præficeret, tantum præſtarent, quantum aſinus ad liram.

Præterea inutilis minimè quæſtio eſt, an è re Principum ſit, concedere ſuis Præfectis & Conſiliariis, ut ſibi multos fundos, multaque prædia emant à ſubditis Principum? Quam aliquando in familiari quodam colloquio ventilari audivi. Mihi tum ſtatim incidebat. *L. 62. ff. de contrahenda emtione*, ubi Modeſtinus ita: *Qui officii cauſa*, inquit, *in provincia agit vel militat, prædia comparare in eadem provincia non poteſt, præterquam ſi paterna ejus à Fiſco diſtrahantur.* Cujus Politicam rationem reddidit flos ille eloquentiæ, Cicero, *Act. 6. in Verrem*: *Quæ fuit cauſa, cur majores noſtri eos, qui cum poteſtate aut legatione in provincia ſunt, tam diligenter in provinciis ab emtionibus removerent? Hæc, judices, quod putabant ereptionem eſſe non emtionem, cum venditori ſuo arbitratu vendere non liceret: In provinciis intelligebant ſi is, qui eſſet cum imperio ac poteſtate, quod apud quemque eſſet emere vellet, id ei liceret, fore, ut quod quiſque vellet, ſive eſſet venale, ſive non eſſet, quanti vellet, auferret.* Sed mihi tum vir quidam, in re judiciaria multum verſatus, referebat, legem hanc moribus Germanorum haud obtinere, idque ex Bachovio, Giphanio. Zipa & Gudelino aliiſque

que Juris Civilis interpretibus probabat. Urgebam ergo rationem antiquationis, & ipſe nullam mihi adducere poterat. Intererat autem illi colloquio ſimul quidam, qui olim Helmeſtadi egregiam in ſtudio Politico navaverat operam: Is mihi hunc nodum egregie ſolvebat; dicebat enim (1.) hodiè Præfectorum Ampt-Leute / Ampt-Schöſſer/ & Præſidum provinciarum & Proconſulum diverſam eſſe rationem, qua in re me facilè deprehendebat conſentientem. (2.) docebat, hoc credere commodo Principum, ſi Præfecti, & reliqui Officiales multa ſibi parent bona immobilia: Nam ſi illi fortaſſis officio malè functi deprehendantur, Principes habere, unde ſibi ſatisfacere poſſint. Ad ſi nil niſi pecuniam in arca poſſideant, & Principis odium, ab officio remotionem aliamque pœnam gravem animadvertant, ſe quaſſatis rebus facilè Principum manibus ſubducere poſſe. Ex eo tempore & ego pro ſingulari Politica æſtimari cœpi, quando officiales, ſub callido viventes Principe, à ſplendidis ædificiis, multorumque prædiorum ac bonorum immobilium emtione ſe abſtinent. Nam (1.) ſplendida ædificia penes reliquos Officiales non ſolum, ſed & plebejos invidiam gignunt. Et Romæ olim hæc Piſoni mortem acceleraſſe teſtatur Cornel. Tacitus *lib.* 3. *Annalium.* (2.) Principes ad accuratiorem de negotiis geſtis reddendam rationem invitant. Apparet itaque hodiè è re Principum eſſe, ſi ſe officiales

ficiales multorum faciant bonorum immobilium dominos, & per conſequens meritò legem illam in deſuetudinem abiiſſe; Et ſi fortaſſis ſubditus à Præfecto eſt læſus, Principem implorare poteſt, qui læſo manus, *ſicubi medicina opus videbitur*, minimè denegabit auxiliatrices. Hinc nec animo mihi unquam excidet, quod aliquando Celebris cujuſdam Principis Miniſter, alterius itidem Magni viri ac Conſiliarii ædes noviter exſtructas præteriens, me ipſum cum amico quodam à tergo ſequente, dixit: Miror, ſed non imitor. Plura ego non dico: Sapienti enim ſat, inſipienti fortaſsè plus quàm ſatis.

Nec ſicco pede prætereundum, iniquo vulgus non ſolùm in Germania fere animo, ſed & multos ultimi minimè ſubſellii Politicos nigris notare Principes lapillis, quòd illi, poſthabitis indigenis Lands-Kinder/ in partem curarum adſumunt extraneos: Sed illis commodè Principes noſtri ex Ludovic. Vive 3. *Declam. Sillan.* reſpondere poſſunt: *Quid? quaſi verò referat, ubi ſit quiſquam natus magis, quàm quo animo ſe ac mente gerat? Ego potiùs civem credam eum, qui in extrema Scythia natus benè de hac mea patria cogitat, quàm qui in hoc iſtó foro genitus & educatus, locum, libertatem, gloriam, in qua natus eſt, perdere potiùs velit & conetur. Cives tu mihi putas eos, qui benè ſuam eſſe civitatem ipſi non putant? virtus & fidelitas faciunt peregrinos naturales.*

Latè hac de re diſſeruit Nobil. Dn. Wilhel. Ignat. Schütz. Concellarius Fuldenſis in *Reflect. Polit. conſol. c. 3.* ubi inter alia ita: Was aber die eigentliche Vrſach ſey / daß auch Chriſti Außſag nach / die qualificirte Perſonen in ihrem Vatterland nicht angeſehen / noch geehret / weniger promoviret und befordert werden / iſt nich gleich prima fronte zu errahten; Doch ſo wir uns ein wenig beym Text oben angeregten 13. Capitels Matth xei auffhalten wollen/wird uns zu End deſſelben vermeldet: Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem ipſorum: Woher aberdieſe Incredulität entſtanden/ gibt der Text gleichfalls gar ſchön / dann ſie ſprachen mit Verwunderung: Non ne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph,& Simon & Judas? & ſorores nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergò huic ſapientia & virtutes &c. Warlich alſo gehet es noch auff dieſe Stund zu / ich habe offt mit meinen Ohren gehöret/ daß man geſagt/ mein Gott / was bildet ſich doch der Menſch nur ein/ es ſind wenig Jahr/ daß wir noch mit einander auf den Stecken geritten/ ich erinnere mich noch wol der Zeit/ er wäre einem umb ein Stück Brods herumb geſprungen : Judas gehet noch hin / man höret aber öffters auch/ wenn etwas rechts hinter ihm wäre / mann würde ſeine

Mut-

Mutter / Vatter oder Schweſter nich verbrant haben. Ein andere fürwitzige alte Schachtel darff wohl am Brunnen ſtehen/ und die Leute fragen / mein ihr Leute / was höre ich/daß Meiſter Hanſſen Sohn ſol vorgeſtern wiederkommen / und indeſſen ein gelehrter Mann worden ſeyn? Da antwortet der eine dieſes / der ander ein anders/ ſtimmen doch hierin all über eins / daß ſie nicht glauben/ daß eine Weiß-oder Geſchicklichkeit hinder ihrem Lands-Mann ſein könne/ darumb meiſtens willen/weiln ſie ihn von Jugend auff gekennet/ auch etwan ſeiner kindlichen Thorheiten noch unvergeſſen / hingegen aber ſich dahin zubeſcheiden ſo verſtändig nicht ſeyn/ daß ihr Lands-Mann durch immittels vollbrachte Reiſen/ fleiſſiges Studiren / und erlangte Experienz ſich in weit andere politur zu ſetzen Mittel und Gelegenheit gehabt/auch wircklich und mit Reputation geſetz habe. Hactenus modò laudatus Vir. Mihi verò valdè perplacent elegantia verba M. Terentii Equitis Romani in Oratione ſua ad Tiberium quæ extat apud Tacitum *l. 6. Ann. c. 10. Non eſt noſtrum judicare quem ſupra cæteros & quibus de cauſis extollas: Tibi ſummum rerum judicium Dii dedere: nobis obſequii gloria relicta eſt.*

Quoniam autem demonſtravimus competere Principibus liberam in ſuis territoriis Magiſtratuum & Officialium conſtitu-

tionem, unde & horum abrogationem illis competere neceſſe eſt. Summè tamen caveant Principes, ne facilè quendam Officialem arcana aulæ ſcientem offendant, vel ab officio removeant. Generoſus enim animus ſe contemni non patitur. Exempla recentia ſunt in promptu, de quibus præſtat tacere, quàm multa dicere. Multò minùs aliquem officialem ab officio ſemel remotum, ad illud iterum evehant. Quantum enim hi nocere poſſint, & nocuerint, multa itidem teſtantur exempla. In ſcenam nunc producere liceat Cornificium Ulfeldium S. Reg. Majeſt. Daniæ ſupremum Miniſtrum, qui, poſtquam à Rege ſuo iterum in gratiam receptus, ſceleſtiſſima quæque contra ſuum optimum Regem fabricavit conſilia. Habemus quoque in hiſtoria noſtri temporis Ducis Wallenſteinii exemplum, qui quid tentarit majoribus experientia, junioribus ex hiſtoria notum eſt. Reliqui verò minorum Gentium ſi infideles erga Principem exiſtant, quin tutò removeri poſſint, non dubito. Et hoc etiam frequenter fieri nemo ignorat. Ratio tamen fortaſſis non omnibus patet. Si fides adhibenda Philandro von Sittewald / *quem Johan. Michael. Moſcheroſch eſſe Docti arbitrantur*, ratio hæc eſt: quod plurimi in aulis vel per Genitivum vel per Dativum ad officia perveniant, qui cùm medio retinendi, *nimirùm doctrinæ & eruditionis laude* deſtituantur, Genitivos & Dativos ſuos Principe mortuo,

tuo, vel Miniſtriſſimo fortè loco moto, ipſis parum prodeſſe non eſſe mirandum. Hæc Moſcheroſch. Intereà non judico de modernorum Politicorum dogmate, quod eſt: Non peccare contra conſcientiam, Principem, ejuſque Conſiliarios, ſi accepta pecunia quendam dignum officio præfici curent: Multò minus dantem; Praxin enim non ſolùm in Franco-Gallorum Principatu, ſed & in florentiſſima Republica Veneta videre licet. Ibi, ſi pro vacua dignitate unus offert 1000. alter 2000. aureorum, ille ad Magiſtratum accommodatior licet ſit: Hic tamen præfertur. Nec dici poteſt, quam immenſa pecuniæ vis in Gallia ex officiorum venditione fiſco Regio accedat. Sanè & ex viginti annorum curriculo, in arcas Regias centum & undequadraginta milliones librarum, ſive circiter quadraginta ſex milliones coronatorum illatos fuiſſe, *periculo Galliæ ſcriptorum* refert Illuſtris Rudolphus Maximilianus Saxoniæ, Angariæ, & Weſphaliæ Dux in Orat. contra Galliam, quæ extat apud Lanſium p. m. 285. Et licet fateat hos emtores, ni ſint pecuniæ contemtores & familiæ diſſipatores, procul dubio in omnes caſus eſſe evigilaturos, quò lacunam marſupii grandi emtione factam, plurimis deinde muneris ſui venditionibus iterum cum lucro explere poſſint. Certum tamen eſt, hoc modo non in Gallia ſolum, ubi Magiſtratus data, ſed & in Germania, ubi non data ad dignitatum & offi-

ciorum pervenere faſtigia, laborare, ut certo, hujus criminis non officii emtione, ſed aliam quandam *mihi forſitan ignotam* cauſam eſſe, credam.

Ultimo laudo quorundam Germanicorum Principum conſilium, qui non facilè ſubditorum de Præfectis aliiſque minoribus Magiſtratibus & publicarum rerum geſtoribus querelas admittunt, neque ab iis facta, conſulta & inſtituta temerè reſcindunt. Quicquid enim in Republica in minimis committitur, ad ſumma facilè ſerpit. Et ex hoc Politico principio, quod etiam inculcat M. Zuerus Boxhorn. *in Inſtitut. Polit. lib.* 1. *c,* 8. *§.* 28. Item quandam, quam ſubditus quidam. Profecto moverat, fuiſſe deciſam aut potius ſuppreſſam memini.

CAP. VIII.

De poteſtate ordinandi ea, quæ ad rem judiciariam ſpectant, Principibus Germanicis competente.

QUoniam autem ſuprà demonſtravi, ad Principes pertinere juris conſtituendi poteſtatem: Hinc neceſſe eſt, ut ad eos quoque judicum & judiciorum ſpectet conſtitutio & ordinatio. Per rerum naturam enim vix aliter fieri poteſt, quam ut ejus ſit inju-

juſtum corrigere, cujus eſt jura ponere. Injuſtum autem eſt corrigendum in judiciis, docente Grot. *de Jure Belli & Pacis lib.* 1. Hinc varia in principatibus per Principes videmus conſtituta judicia, eaque non tam Civilia, quam Criminalia, Judicia itidem Eccleſiaſtica, Feudalia, Tutelaria &c. inter quæ potiſſimum eminent illa, quæ Curias Provinciales vocare ſolent, ad quas ab interioribus tanquam ad ſupremum illius regionis tribunal, à partibus litigantibus fit provocatio. Quaſnam verò & quot perſonas illis judiciis Principes præficere ſoleant ac debeant, nervoſe jam docuit ſæpè ſed nunquam ſatis laudatus Dominus à Seckendorff, im Teut-ſchen Fürſten-Staat. Ego ſaltem de proceſſu, qui noſtris in judiciis obſervatur, ex doctrina Politica ejuſque commodis & incommodis pauca quædam diſſeram.

Proceſſus qui in judiciis Germaniæ obſervatur, potiſſimum deſumptus eſt ex jure Canonico, qui propter ſuam longitudinem Principatibus, in quibus ſubditorum etiam aliqua habetur ratio, non poteſt non multum nocere, uti hoc benè animadvertit Dominus D. Conringius *de Prudentia Civ. c.* 14. *p. m.* 329. *Nec verò alibi, inquit, uſquam legere eſt forenſem etiam Proceſſum formatum in Monarchici Dominatus inſtrumentum, ſpecioſo juſtitiæ prætextu, ceu hic vafre inſtitutum obſervare eſt. Enimverò admittit frequen-*

tes ad curiam appellationes, & impenſe favens eo, moroſeque invitum quamvis trahens detinenſque actorem, utramque partem in diuturno tenet curiæ obſequio, & non niſi meliore exhauſto ſucco languentes dimittit. Hactenus, & *quidem benè*, Conringius. Satis itaque cauſæ habuerunt ſtatus Imperii Germanici cur de Proceſſu diuturno emendando quædam in noviſſimo Receſſu Imperii de Anno 1654. diſpoſuerunt; quidam verò Principes de abrogando plane Proceſſu ordinario, & introducendo ſummario cogitarunt. Nec audiendi ſunt illi, qui ſalva juſtitia fieri non poſſe dicunt, ſi omnes cauſæ in ſummario tractentur Proceſſu. Quæ quæſo injuſtitia eſſe poteſt, ſi in quodam Proceſſu omnia ea requiſita, quæ jus naturale requirit, obſerventur? Talia autem obſervantur in Proceſſu ſummario, teſte D. Brunnemanno *in Proceſſu Judiciario cap.* 1. Quæ quæſo ratio eſt, quod ſaltem (1.) cauſæ Eccleſiaſticæ; ubi ſcilicet agitur de Electione, Præbenda, Canonicatu vel alio beneficio Eccleſiaſtico ratione tituli &c. (2.) Matrimoniales (3.) Mercatorum (4.) Alimentorum præſentium & futurorum: Non verò præteritorum aut aliæ cauſæ deducuntur in Proceſſum ſummarium? Sanè Princeps judici delegato imponere poteſt, ut in aliquibus cauſis de ſimplici & plano ſine omni ſtrepitu & figura judicii, hoc eſt, ſummario proceſſu procedat, quare non in omnibus cauſis certa quadam lege pro-

proceſſum ordinarium abrogare, & peculiarem quandam formam in omnibus cauſis præſcribere poterit? Rectè itaque in quibuſdam Principatibus, ubi prolixitas judiciarii proceſſus non expreſſa lege emendata eſt, partibus litigantibus à proceſſu ordinario recedere permittitur: Nam litigantes ſuper lite planè tranſigere & actionem ſibi invicem remittere poſſunt: Quare itaque ipſis non eſſet permittendum à proceſſu ordinario, ſpeciali quadam conventione recedere? Si autem celeberrimo illi Politico, Chriſtophoro Forſtnero, *in notis Polit. ad lib. 2. Annal. Taciti* fidem habemus, tres ſunt cauſæ diuturnitatis litium (1.) Proceſſus prolixitas (2.) Advocatorum inſcitia & improbitas (3.) Corrupti judices. Si enim hi ſint φιλάργυροι, lucris & opibus inhiant, ſummo ſtudio lites reddere immortales laborabunt. Quorum avaritiæ à Principibus meritò eſt occurrendum, & quidem (1.) ne judices non tentata prius, *ſumma cura*, amicabili partium compoſitione, proceſſum aperiant. Et ſi (2.) eundem aperire neceſſe ſit, judices ſtatim, rejectis ſimplicibus, citationes omnes *incluſo libello* emittant peremtorias. Ad quas ſi doloſe non compareant (3.) gravi pœnâ animadvertere in eoſdem decet. Comparentibus verò (4.) reo terminum, *amputata dilationum materia*, in quo omnes exceptiones opponat, præfigat: Quod niſi fecerit, nec ue: ante litis conteſtationem amplius ad ullius

exceptionis dilatoriæ oppoſitionem admittatur. Quas verò ſi neget actor (5.) reus eaſdem ſtatim probare debet: Si non neget, ſed Reſpublicas opponat (6.) ultra duplicam in ſcriptis non eſſe procedendum. (7.) Interrogationes hodiè ab uſu rejectæ in tribunalia revocandæ ſunt: Cum enim & hodie num facilè fieri poſſit, ut neceſſariæ circumſtantiæ in Actis interdum non deducantur, vel ex negligentia Advocatorum, vel quod eas judici notas eſſe exiſtiment, non animadvertentes ſtatim id, quod judicibus, qui proceſſum dirigunt, notum eſt, mirum non eſt, errorem ſæpius in conceptione ſententiæ oriri poſſe; ideoque non minimum ad maturandum proceſſum faceret, ſi illæ & hodie revocentur. Ad illarum tamen ſimilitudinem Poſitiones, quæ lite demum conteſtata exhibentur ab actore, inventæ ſunt. Cum autem ſæpè irrelevantes proponantur (8.) judicis eſt, eas removere. Et cum in probationibus ſæpè plurimum temporis conſumatur, obſervanda erunt (9.) ſedulo ea, quæ in Receſſu Imperii Ratiſpon. de Anno 1654. præſcripta ſunt. Prohibendæ quoque ſunt (10.) futiles & inanes exceptiones contra JCtorum collegia. Et (11.) ſententia lata, nemini appellare liceat, niſi præſtito juramento appellationis, & ſi quis temerè appellaſſe deprehendatur, in expenſis non ſolum & pecuniariam pœnam eſt condemnandus; ſed corporaliter omninò etiam eſt puniendus.

dus. Sententia lata, nec appellatione petita, (12.) potiſſima judicis cura ſit, eandem citiſſimè exequi.

An ne autem Advocati, ut noviſſimè docuit poſt alios Octavius Piſani in libro, cui titulum fecit Lycurgus Italicus *p. m.* 3. ex Republica ejiciendi ſunt? Minimè Gentium. Quod autem plurimi illorum hactenus Principatibus & Rebuſpublicis noſtris nocuerint, exinde factum, quia ad hoc tam nobile officium admiſſi ſunt tales, qui vel facultate, vel benevolentia, vel virtute illud munus gerendi laborarunt. Nam, juxta Ariſtotelem *lib. 5. Polit. cap. 9. aliàs* 10. ad omne officium rectè gerendum hæc tria, jam memorata, nimirum (1.) Facultas, (2.) Benevolentia & (3.) Virtus requiruntur, quorum uno abſente alicui, citra Reipublicæ damnum, illud officium demandari haud poteſt. Inutile hinc minime eſſet Reipublicæ, ſi, prius quam clientibus patrocinium præberent, nomen ſuum coram judice profiterentur, quo judex inquirere poteſt, an his tribus requiſitis inſtructus ſit, nec ne. Laudabiliter quidem in quibuſdam Germaniæ Principum Curis non niſi qui ſe jura uſualia in Academiis per triennium luſtraſſe probare poſſint, admittuntur: Aſt, tam exiguo temporis ſpatio, quem ad nobile Advocati munus ſuſcipiendum idoneum fieri, credat quis volet. Plurimi ſanè cruda ſua ſtudia, irata quaſi Juſtitia, in forum propellunt, &

ſæ-

ſæpiſſimè clientibus ſuis non tam dolo quam inſcitia obſunt. Nec minus votis expetendum, ut ſaluberrima illa lex Cincia è cineribus quaſi revocetur. Cum enim in Republica Romana Oratores patrocinia clientum tanquam modum acquirendi tractare & ex diuturnitate litium multum pecuniæ parare cæperant, Lex Cincia prudenter lata eſt, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat, referente Cornel. Tacito *lib.* 11, *Annal. cap.* 5. Ne autem Advocati fruſtrà laborare cogantur, Fiſcus in Republica erit conſtituendus, in quem pro qualitate cauſæ partes litigantes debent dare certam pecuniæ ſummam, quæ deinde inter Advocatos, pro qualitate laborum, erit diſtribuenda: Aut ſi hoc nimis moleſtum eſſe videatur, certum quoddam ſalarium à Principe Advocatis erit conſtituendum, pecunia verò à partibus litigantibus proceſſui deſtinata in fiſcum Principis redigenda. Hoc modo enim nec Princeps, nec Advocati, nec Reſpublica ullum ſentirent damnum. *Aſt hoc*, ut cum Thoma Moro in Utopia loquar, *faciliùs optare, quam ſperare licet.*

CAP.

CAP. IX.

De jure tribuendorum præmiorum, pœnarumque imponendarum, Principibus Germanicis competente.

IN omni Republica magna præmiorum utilitas pariter ac neceſſitas eſt. Licet enim, Stoicorum ex ſententia, virtus ſibi ipſi ſit præmium & ſemper pulcherrima merces: Attamen ſive ſocordia ſive ambitione humani ingenii factum eſt, ut virtus ex præmiis æſtimetur: Nemo quippe gratis bonus eſſe vult; ſed quilibet præmiis vult ad virtutem animari. Præprimis horum in Monarchiis ſeu Principatibus maximus uſus eſt, ut M. Zuer. Boxhorn. inter arcana Status referat, ſi Principes ſibi ſolis præmiorum collationem reſervent. Quid poſſint largitiones, oſtendit exemplo ſuo Auguſtus, qui congiario & annona plebem, donativis militem pellexit apud Tacit. *lib.* 1. *Annal. c.* 2. Quo Politico multi Germaniæ Principes egregiè utuntur, multi etiam, dum largiuntur ea, quæ non largiri; nec iis largiuntur, quibus largiri decet, abutuntur. Eſt enim Regula Politica: Præmia eſſe conferenda non niſi benè merentibus, & quidem talia, quæ ſint hono-

honorifica accipienti, ærario autem minimè damnoſa. Hic iterum Principibus noſtris Romanos imitandos propono. Romanorum coronæ obſidionales & civicæ, ex gramine aut frondibus confectæ, exigui erant pretii, magni tamen omni tempore, quia virtuti dabantur, æſtimatæ ſunt. Quibus etiam, hiſtoria teſte, illi plus effecerunt, quàm Principes noſtri, recte largiri neſcii, integra prædia, pagos ac civitates in eos ſæpè, quorum nulla, nec Majorum ſuorum ulla, in Rempublicam extant merita, conferentes. Hinc laudo prudentes Suecos, qui Miniſtros & Officiales ſuos non pecunia, ſed titulis, onerant, die Schweden geben groſſe Ehr, aber wenig Geld: Prudentiſſimè profecto: Illuſtria enim & generoſa ingenia ad nomen magis, quam ad lucrum, attendunt. Cui Politico etiam jus Nobilitatis, Equitum ordines & inſignia gentilia inniti, fortaſſis quis non ineptè conjiceret: Hanc dignitatem enim ſine diſpendio publico tribuere licet. Et licet plurimi Doctores jus Nobilitandi inter Reſervata *ſeu potius Relicta* Imperatoris referant, non dubito tamen cum Noldenio, aliiſque Doctoribus, quos in Tract. *de Nobil.* c. 11. §. 18. magno numero adducit, ſtatuere, cuilibet Duci, Marchioni, Comiti, in ſuis territoriis jus nobilitandi integrum eſſe. In eo, autem Reges ac Principes vehementer peccant, dum Nobilitatis præmium, per ſe aliàs vile, promiſcuo illius uſu vilius ad-
huc

huc efficiunt. Ipſi Reges enim & Principes non ſolum, ſed & Comites Palatini, *quos hodiè Imperator, nullo doctrinæ ac aliarum virtutum reſpectu habito*, creat, aliis iterum promiſcuè ſeu ſartores ſeu ſutores ſint, modò crumenam cum pecunia afferant, Nobilitatis dignitatem conferunt. Exempla ſunt odioſa. Nil dicam jam de gradibus & dignitatibus Academicis, quas Domini Decani in Italia ſub haſta quaſi vendunt, ut apud eos in proverbium abierit: Nos ſumimus pecuniam, & mittimus aſinos in patriam: O tempora! ô mores: Et hunc lucroſum mercatum noſtri Germani quoque exercere incipiunt, &, nummis oblatis, ſæpè Corydone rudioribus laurum imponunt Doctoralem. Credo certè Cajum Caligulam, qui equum ſuum Conſulem Romanum efficere voluit, ſi hodiè viveret, minimè pecuniam modò ſi afferret, repulſam paſſurum eſſe.

Nunc ad pœnas tranſgredior, quarum irrogatio ad Principes licet pertineat, non ſuo tamen, ſed alieno potius exequi curant nomine. Servus enim audit, quiſquis punit, quamvis meritò puniat: Et juſtas etiam pœnas crudelitatis famam conciliare, egregiè notat Thucydides. Magiſtratu itaque, qui, nomine Principis ſuppreſſo, in delinquentes animadvertat, opus eſt. Et ne hic Magiſtratus omnium odio exponatur, nemoque eundem ſuſcipiat, Ariſtoteles. *In*

ſua

ſua Politica lib. 6. cap. 8. conſilium dedit, qua ratione odium illud avertendum vel minuendum ſit: Nimirum, ſi alius ſententiam dicat, alius executionem peragat. Apud nos autem hodiè, neglecto Ariſtotelis conſilio, iidem, qui ſententiam dicunt, eam quoque executioni mandant, aliò declinandi odii excogitato conſilio: Nam judices non pronunciant ferè ſententiam in criminalibus cauſis, niſi ex conſilio Collegii alicujus Juridici, quam ipſi quidem executioni mandant, non tamen ſuis manibus, ſed per lictores, *quibus tanquam inſtrumentis utuntur*, quorum propterea deteſtabile valde eſt officium. Atque hoc modo idem, quod Ariſtoteles vult, obtinetur: Dividitur enim in plures odium, ne in judices illud collectis irruere poſſit viribus. Ad odium quoque illud conducit minuendum, ſi pœnæ, & quidem graviores quam poſtquam peccatum eſt exigantur, legibus definiantur, nihilque Magiſtratuum relinquatur arbitrio. Nam ſi determinatio pœnæ Magiſtratus relinquitur arbitrio, plebei eandem ex odio aliquo aut privato irrogari exiſtimabunt affectu. Hinc inſigniter Germani noſtri peccant, quod plerorumque delictorum pœnas fecerunt arbitrarias. Quod autem delicto graviores pœnæ in legibus ſint ſtatuendæ; nullo modo ratione caret. Nam quò graviores ſunt pœnæ, eò major incutitur hominibus terror, qui eos à delinquendo revocat. Deinde facili negotio gratiam,

quam

quam ſemper delinquentes implorant, minuendo ſcilicet pœnæ ferocitatem, concedere poteſt; quo ipſo ſibi penes populum magnam humanitatis ac clementiæ conciliat opinionem. Porrò ne Principes delectari pœnis videantur, executionem ſpectare non debent. Unde merito notat Tacitus *in Agricol. c.* 45. §. 4. Domitianum: Præcipua enim ſub Domitiano pars miſeriarum erat videre & adſpici. Et quantum, neglecto hoc Politico, juſtitiæ ſuæ laudem gloriamque obfuſcaverit, noſtro tempore, Princeps quidam, *nuper pie defunctus*, ii, qui ſub ipſo ſpiritus traxere, optimè norunt.

Quoniam verò difficillimi negotii res eſt merum imperium, ſeu poteſtas irrogandi pœnas, neſcio an Principatibus Germanicis conducat, ejuſdem exercitium Civitatibus municipalibus relinquere: In pleriſque enim municipiis ex ſutrina, fabrica aliiſque officinis mechanicis judicium Criminale formari videmus, quibus tam bono conſilio jus gladii, quam pueris ferrum acutum traditur. Quam periculoſum enim ſit imperium, & ex eo jus vitæ neciſque artis imperandi ignaris committere, exempla antiqua & recentia nobis affatim loquuntur. Plerumque enim illi, poſtquam fur de furca per aliquot pependit dies, in facti ſolent inquirere veritatem. De illis autem municipiis, ubi copia doctorum Senatorum & judicum haberi poteſt, nihil dico, illiſque ſua jura & juriſdictionalia

iuſtè

juſtè quæſita, beneque adminiſtrata, minimè invideo.

Non minimos inter Politicos Germaniæ Principum ac Rerumpublicarum ſolœciſmos referri meretur, quòd pleroſque legum tranſgreſſores crudelibus carnificum manibus tradunt, hunc patibulo conſecrando, aut capite plectendo, illum rota contundendo aut culeo inſuendo, iſtum fuſtigando aut ad ſcippum alligando. E contra non poſſum non hîc Gallorum ac Italorum prudentiam ſatis extollere laudibus, qui delinquentes non momentanea, *ex qua Reſpublica nullam vel exiguam capit utilitatem*, ſed perpetua morte afficiunt, eos ad triremes vel alia opera publica condemnando. Et hoc modo illi, qui anteà Reipublicæ nocuêre, eidem prodeſſe incipiunt. Deinde ſumtibus, executioni impendendis, parci poteſt. Inter omnes tamen pœnas nulla fuſtigatione & relegatione videtur mihi abſurdior: Præterquam enim quod eadem delinquentes minimè emendentur, ad majora facinora, adverſus Rempublicam ſuſcipienda, irritantur. Exempla recentia habemus ante oculos. Et non ita pridem à Franconia fuſtigatum, Integrum Vulcano conſecraſſe oppidum, ab amico mihi relatum eſt. Publicam itaque laudem meretur Reverendiſſimus Dominus Adminiſtrator Auguſtus, Halæ Saxonum nunc reſidens, qui laudabilibus his Italorum & Gallorum veſtigiis inſiſtere incipit,

ſcor-

ſcortis ac furunculis purgandi forum ac plateas urbis pœnam imponens. Et quid obſtaret, ſi Principes noſtri in ſuis provinciis ſeverioris diſciplinæ ergaſtula Zucht-Häuſſer ædificarent, inque ea facinoroſos, & validos mendicantes aliaque inutilia terræ pondera detrudant. Ea enim hodiè malitioſe mendicantium eſt copia, ut vix pedem proferre poſſis, ni unus vel alter malitioſus mendicus tibi impudentiſſimè occurrat & inſtantiſſimis ſuis rogationibus pecuniam extorqueant. Memini hoc conſilii Sereniſſimum Dominum Erneſtum Ducem Saxo-Gothanum dudum agitaſſ: An autem in actum deduxerit, nundum certior factus ſum.

CAP. X.

De Ærario Principum Germanicorum, nec non variis illud augendi & conſervandi mediis.

QUoniam autem ſuprà demonſtravi Majeſtatem eſſe opificem quaſi felicitatis Civilis, & per conſequens ad hoc opus producendum certis quibuſdam inſtrumentis, *quæ dixi eſſe pecuniam*, indigere: Ideòque nunc de modis acquirendi pecuniam pauca quædam politicè diſſeram.

Nec

exceptionis dilatoriæ oppoſitionem admittatur. Quas verò ſi neget actor (5.) reus eaſdem ſtatim probare debet: Si non neget, ſed Reſpublicas opponat (6.) ultra duplicam in ſcriptis non eſſe procedendum. (7.) Interrogationes hodiè ab uſu rejectæ in tribunalia revocandæ ſunt: Cum enim & hodie num facilè fieri poſſit, ut neceſſariæ circumſtantiæ in Actis interdum non deducantur, vel ex negligentia Advocatorum, vel quod eas judici notas eſſe exiſtiment, non animadvertentes ſtatim id, quod judicibus, qui proceſſum dirigunt, notum eſt, mirum non eſt, errorem ſæpius in conceptione ſententiæ oriri poſſe; ideoque non minimum ad maturandum proceſſum faceret, ſi illæ & hodie revocentur. Ad illarum tamen ſimilitudinem Poſitiones, quæ lite demum conteſtata exhibentur ab actore, inventæ ſunt. Cum autem ſæpè irrelevantes proponantur (8.) judicis eſt, eas removere. Et cum in probationibus ſæpè plurimum temporis conſumatur, obſervanda erunt (9.) ſedulo ea, quæ in Receſſu Imperii Ratiſpon. de Anno 1654. præſcripta ſunt. Prohibendæ quoque ſunt (10.) futiles & inanes exceptiones contra JCtorum collegia. Et (11.) ſententia lata, nemini appellare liceat, niſi præſtito juramento appellationis, & ſi quis temerè appellaſſe deprehendatur, in expenſis non ſolum & pecuniariam pœnam eſt condemnandus; ſed corporaliter omninò etiam eſt puniendus.

dus. Sententia lata, nec appellatione petita, (12.) potiſſima judicis cura ſit, eandem citiſſimè exequi.

An ne autem Advocati, ut noviſſimè docuit poſt alios Octavius Piſani in libro, cui titulum fecit Lycurgus Italicus *p. m.* 3. ex Republica ejiciendi ſunt? Minimè Gentium. Quod autem plurimi illorum hactenus Principatibus & Rebuſpublicis noſtris nocuerint, exinde factum, quia ad hoc tam nobile officium admiſſi ſunt tales, qui vel facultate, vel benevolentia, vel virtute illud munus gerendi laborarunt. Nam, juxta Ariſtotelem *lib. 5. Polit. cap. 9. aliàs* 10. ad omne officium rectè gerendum hæc tria, jam memorata, nimirum (1.) Facultas, (2.) Benevolentia & (3.) Virtus requiruntur, quorum uno abſente alicui, citra Reipublicæ damnum, illud officium demandari haud poteſt. Inutile hinc minime eſſet Reipublicæ, ſi, prius quam clientibus patrocinium præberent, nomen ſuum coram judice profiterentur, quo judex inquirere poteſt, an his tribus requiſitis inſtructus ſit, nec ne. Laudabiliter quidem in quibuſdam Germaniæ Principum Curis non niſi qui ſe jura uſualia in Academiis per triennium luſtraſſe probare poſſint, admittuntur: Aſt, tam exiguo temporis ſpatio, quem ad nobile Advocati munus ſuſcipiendum idoneum fieri, credat quis volet. Plurimi ſanè cruda ſua ſtudia, irata quaſi Juſtitia, in forum propellunt, &

ſæ-

ſæpiſſimè clientibus ſuis non tam dolo quam inſcitia obſunt. Nec minus votis expetendum, ut ſaluberrima illa lex Cincia è cineribus quaſi revocetur. Cum enim in Republica Romana Oratores patrocinia clientum tanquam modum acquirendi tractare & ex diuturnitate litium multum pecuniæ parare cæperant, Lex Cincia prudenter lata eſt, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat, referente Cornel. Tacito *lib. 11, Annal. cap. 5.* Ne autem Advocati fruſtrà laborare cogantur, Fiſcus in Republica erit conſtituendus, in quem pro qualitate cauſæ partes litigantes debent dare certam pecuniæ ſummam, quæ deinde inter Advocatos, pro qualitate laborum, erit diſtribuenda: Aut ſi hoc nimis moleſtum eſſe videatur, certum quoddam ſalarium à Principe Advocatis erit conſtituendum, pecunia verò à partibus litigantibus proceſſui deſtinata in fiſcum Principis redigenda. Hoc modo enim nec Princeps, nec Advocati, nec Reſpublica ullum ſentirent damnum. *Aſt hoc*, ut cum Thoma Moro in Utopia loquar, *faciliùs optare, quam ſperare licet.*

CAP.

CAP. IX.

De jure tribuendorum præmiorum, pœnarumque imponendarum, Principibus Germanicis competente.

IN omni Republica magna præmiorum utilitas pariter ac neceſſitas eſt. Licet enim, Stoicorum ex ſententia, virtus ſibi ipſi ſit præmium & ſemper pulcherrima merces: Attamen ſive ſocordia ſive ambitione humani ingenii factum eſt, ut virtus ex præmiis æſtimetur: Nemo quippe gratis bonus eſſe vult; ſed quilibet præmiis vult ad virtutem animari. Præprimis horum in Monarchiis ſeu Principatibus maximus uſus eſt, ut M. Zuer. Boxhorn. inter arcana Status referat, ſi Principes ſibi ſolis præmiorum collationem reſervent. Quid poſſint largitiones, oſtendit exemplo ſuo Auguſtus, qui congiario & annona plebem, donativis militem pellexit apud Tacit. *lib.* 1. *Annal. c.* 2. Quo Politico multi Germaniæ Principes egregiè utuntur, multi etiam, dum largiuntur ea, quæ non largiri; nec iis largiuntur, quibus largiri decet, abutuntur. Eſt enim Regula Politica: Præmia eſſe conferenda non niſi benè merentibus, & quidem talia, quæ ſint hono-

honorifica accipienti, ærario autem minimè damnoſa. Hic iterum Principibus noſtris Romanos imitandos propono. Romanorum coronæ obſidionales & civicæ, ex gramine aut frondibus confectæ, exigui erant pretii, magni tamen omni tempore, quia virtuti dabantur, æſtimatæ ſunt. Quibus etiam, hiſtoria teſte, illi plus effecerunt, quàm Principes noſtri, recte largiri neſcii, integra prædia, pagos ac civitates in eos ſæpè, quorum nulla, nec Majorum ſuorum ullä, in Rempublicam extant merita, conferentes. Hinc laudo prudentes Suecos, qui Miniſtros & Officiales ſuos non pecunia, ſed titulis, onerant, die Schweden geben groſſe Ehr, aber wenig Geld: Prudentiſſimè profectò: Illuſtria enim & generoſa ingenia ad nomen magis, quam ad lucrum, attendunt. Cui Politico etiam jus Nobilitatis, Equitum ordines & inſignia gentilia inniti, fortaſſis quis non ineptè conjiceret: Hanc dignitatem enim ſine diſpendio publico tribuere licet. Et licet plurimi Doctores jus Nobilitandi inter Reſervata *ſeu potius Relicta* Imperatoris referant, non dubito tamen cum Noldenio, aliiſque Doctoribus, quos in Tract. *de Nobil.* c. 11. §. 18. magno numero adducit, ſtatuere, cuilibet Duci, Marchioni, Comiti, in ſuis territoriis jus nobilitandi integrum eſſe. In eo, autem Reges ac Principes vehementer peccant, dum Nobilitatis præmium, per ſe aliàs vile, promiſcuo illius uſu vilius adhuc

huc efficiunt. Ipſi Reges enim & Principes non ſolum, ſed & Comites Palatini, *quos hodiè Imperator, nullo doctrinæ ac aliarum virtutum reſpectu habito*, creat, aliis iterum promiſcuè ſeu ſartores ſeu ſutores ſint, modò crumenam cum pecunia afferant, Nobilitatis dignitatem conferunt. Exempla ſunt odioſa. Nil dicam jam de gradibus & dignitatibus Academicis, quas Domini Decani in Italia ſub haſta quaſi vendunt, ut apud eos in proverbium abierit: Nos ſumimus pecuniam, & mittimus aſinos in patriam: O tempora! ô mores: Et hunc lucroſum mercatum noſtri Germani quoque exercere incipiunt, &, nummis oblatis, ſæpè Corydone rudioribus laurum imponunt Doctoralem. Credo certè Cajum Caligulam, qui equum ſuum Conſulem Romanum efficere voluit, ſi hodiè viveret, minimè pecuniam modò ſi afferret, repulſam paſſurum eſſe.

Nunc ad pœnas tranſgredior, quarum irrogatio ad Principes licet pertineat, non ſuo tamen, ſed alieno potius exequi curant nomine. Servus enim audit, quiſquis punit, quamvis meritò puniat: Et juſtas etiam pœnas crudelitatis famam conciliare, egregiè notat Thucydides. Magiſtratu itaque, qui, nomine Principis ſuppreſſo, in delinquentes animadvertat, opus eſt. Et ne hic Magiſtratus omnium odio exponatur, nemoque eundem ſuſcipiat, Ariſtoteles. *In*

ſua

ſua Politica lib. 6. cap. 8. conſilium dedit, qua ratione odium illud avertendum vel minuendum ſit: Nimirum, ſi alius ſententiam dicat, alius executionem peragat. Apud nos autem hodiè, neglecto Ariſtotelis conſilio, iidem, qui ſententiam dicunt, eam quoque executioni mandant, alio declinandi odii excogitato conſilio: Nam judices non pronunciant ferè ſententiam in criminalibus cauſis, niſi ex conſilio Collegii alicujus Juridici, quam ipſi quidem executioni mandant, non tamen ſuis manibus, ſed per lictores, *quibus tanquam inſtrumentis utantur*, quorum propterea deteſtabile valde eſt officium. Atque hoc modo idem, quod Ariſtoteles vult, obtinetur: Dividitur enim in plures odium, ne in judices illud collectis irruere poſſit viribus. Ad odium quoque illud conducit minuendum, ſi pœnæ, & quidem graviores quam poſtquam peccatum eſt exigantur, legibus definiantur, nihilque Magiſtratuum relinquatur arbitrio. Nam ſi determinatio pœnæ Magiſtratus relinquitur arbitrio, plebei eandem ex odio aliquo aut privato irrogari exiſtimabunt affectu. Hinc inſigniter Germani noſtri peccant, quod plerorumque delictorum pœnas fecerunt arbitrarias. Quod autem delicto graviores pœnæ in legibus ſint ſtatuendæ; nullo modo ratione caret. Nam quò graviores ſunt pœnæ, eò major incutitur hominibus terror, qui eos à delinquendo revocat. Deinde facili negotio gratiam,

quam

quam ſemper delinquentes implorant, minuendo ſcilicet pœnæ ferocitatem, concedere poteſt; quo ipſo ſibi penes populum magnam humanitatis ac clementiæ conciliat opinionem. Porrò ne Principes delectari pœnis videantur, executionem ſpectare non debent. Unde merito notat Tacitus *in Agricol. c.* 45. §. 4. Domitianum: Præcipua enim ſub Domitiano pars miſeriarum erat videre & adſpici. Et quantum, neglecto hoc Politico, juſtitiæ ſuæ laudem gloriamque obfuſcaverit, noſtro tempore, Princeps quidam, *nuper pie defunctus*, ii, qui ſub ipſo ſpiritus traxere, optimè norunt.

Quoniam verò difficillimi negotii res eſt merum imperium, ſeu poteſtas irrogandi pœnas, neſcio an Principatibus Germanicis conducat, ejuſdem exercitium Civitatibus municipalibus relinquere: In pleriſque enim municipiis ex ſutrina, fabrica aliiſque officinis mechanicis judicium Criminale formari videmus, quibus tam bono conſilio jus gladii, quam pueris ferrum acutum traditur. Quam periculoſum enim ſit imperium, & ex eo jus vitæ neciſque artis imperandi ignaris committere, exempla antiqua & recentia nobis affatim lonquuntur. Plerumque enim illi, poſtquam fur de furca per aliquot pependit dies, in facti ſolent inquirere veritatem. De illis autem municipiis, ubi copia doctorum Senatorum & judicum haberi poteſt, nihil dico, illiſque ſua jura & juriſdictionalia

juſtè quæſita, beneque adminiſtrata, minimè invideo.

Non minimos inter Politicos Germaniæ Principum ac Rerumpublicarum ſolœciſmos referri meretur, quòd pleroſque legum tranſgreſſores crudelibus carnificum manibus tradunt, hunc patibulo conſecrando, aut capite plectendo, illum rota contundendo aut culeo inſuendo, iſtum fuſtigando aut ad ſcippum alligando. E contra non poſſum non hîc Gallorum ac Italorum prudentiam ſatis extollere laudibus, qui delinquentes non momentanea, *ex qua Reſpublica nullam vel exiguam capit utilitatem*, ſed perpetua morte afficiunt, eos ad triremes vel alia opera publica condemnando. Et hoc modo illi, qui anteà Reipublicæ nocuêre, eidem prodeſſe incipiunt. Deinde ſumtibus, executioni impendendis, parci poteſt. Inter omnes tamen pœnas nulla fuſtigatione & relegatione videtur mihi abſurdior: Præterquam enim quod eadem delinquentes minimè emendentur, ad majora facinora, adverſus Rempublicam ſuſcipienda, irritantur. Exempla recentia habemus ante oculos. Et non ita pridem à Franconia fuſtigatum, Integrum Vulcano conſecraſſe oppidum, ab amico mihi relatum eſt. Publicam itaque laudem meretur Reverendiſſimus Dominus Adminiſtrator Auguſtus, Halæ Saxonum nunc reſidens, qui laudabilibus his Italorum & Gallorum veſtigiis inſiſtere incipit,

ſcor-

ſcortis ac furunculis purgandi forum ac plateas urbis pœnam imponens. Et quid obſtaret, ſi Principes noſtri in ſuis provinciis ſeverioris diſciplinæ ergaſtula Zucht-Häuſſer ædificarent, inque ea facinoroſos, & validos mendicantes aliaque inutilia terræ pondera detrudant. Ea enim hodiè malitioſe mendicantium eſt copia, ut vix pedem proferre poſſis, ni unus vel alter malitioſus mendicus tibi impudentiſſimè occurrat & inſtantiſſimis ſuis rogationibus pecuniam extorqueant. Memini hoc conſilii Sereniſſimum Dominum Erneſtum Ducem Saxo-Gothanum dudum agitaſſ: An autem in actum deduxerit, nundum certior factus ſum.

CAP. X.

De Ærario Principum Germanicorum, nec non variis illud augendi & conſervandi mediis.

QUoniam autem ſuprà demonſtravi Majeſtatem eſſe opificem quaſi felicitatis Civilis, & per conſequens ad hoc opus producendum certis quibuſdam inſtrumentis, *quæ dixi eſſe pecuniam*, indigere: Ideòque nunc de modis acquirendi pecuniam pauca quædam politicè diſſeram. Nec

Nec exiſtimandum eſt hanc doctrinam ſaltem ad privatos pertinere: Nam, ut notanter Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit. cap.* 7. docet, hæc doctrina multò magis ad eos, qui Reipublicæ operam navant, quàm qui domibus præſunt, ſpectat. Sunt autem modi acquirendi, juxta doctrinam Ariſtotelis, tres. (1.) Naturales (2.) Artificiales (3.) Mixti. Ad naturales acquirendi modos *d. l. c.* 5. refert (1.) Paſturam (2.) Agriculturam (3.) Piſcationem. (4.) Venationem. (5.) Piraticam. Quid autem ſit piratica, & an, & quatenus naturalis ſit, diſputant Politici domatici. Secundùm Ariſtotelem, piratica eſt captura hominum naturâ ſervorum, ſervire autem detrectantium. Et, quin piratica hoc ſenſu naturaliter juſta dici poſſit, non eſt duditandum; An autem dentur naturâ ſervi, multi hodiè Ariſtoteli controverſiam movent. Ferdinandus Vaſquius *in præf. illuſtr. Controverſ. num.* 3. *& ſeqq.* audaciſſimè ſcribit: Ariſtotelem ſententiam hanc tuliſſe, ut Principis ſui Alexandri M. alienas urbes & regiones armis infeſtandis funeſtam tyrannidem defenderet & extolleret. Aſt dari ſervos natura, plerique Ariſtotelis interpretes, & antiqui & recentes, *intra quos honoris cauſa nomino ſæpè laudatum Dominum D. Johannem à Felde, & Dominum D. Majerum, illum anteà, hunc hodie etiam Profeſſorem Publicum Helmſtadij,* multis docuêre. Ariſtotelem autem, licet fuerit Alexandri primùm Præceptor,

ptor, poſtea Conſiliarius Status, hæc adulanti animo ſcripſiſſe, non video, *cùm inter Hiſtoricos hac de re ſit altum ſilentium*, unde probare velit Vaſquius. Ariſtoteles ſanè *lib. 6. Polit. c.* 10. multis pruritum illum extendendi fines Imperii & latam ſibi parandi dominationem exagitat, quæ, quò minùs Vaſquio fidem attribuendam, valdè me movent. Meritò ergò, juxta regulam JCtorum, quilibet, *ergò & Ariſtoteles*, præſumitur bonus, donec probetur contrarium. Melius intellexerunt hanc Ariſtotelis doctrinam Vaſquii I. Geneſius Sepulveda Cordubenſis, præclarus Ariſtotelis interpres, & Joſ. à Coſta, doctiſſimus Jeſuita, & alii Vaſquii Sympatriotæ, qui Regis ſui Hiſpani bella, quæ ſuperiori ſeculo Americanis movit, non parum hoc ex principio defenderunt. Benè an malè, *& an Americani ſint pro ſervis natura habendi*, non jam diſputabo. Noſtro quoque tempore bellicam acquirendi artem, ſub religioſo libertatis Civilis & Conſcientiæ tuendæ titulo, egregiè prudentiſſimi Galliæ & Sueciæ Reges tractare noverunt: Is enim Alſatiam non ſolùm ſed & alia plura imperio ſuo extendendo maximè apta: Hic Pomeraniam, Epiſcopatum Bremenſem & Verdenſem, &c. aliaque non ſolùm dominio maris Balthici conſequendo accommodata, ſed & exercitum in mediam fermè Germaniam ducendi nacti ſunt loca. Nec eadem ipſis Germani invidere debent
nec

nec poſſunt. Niſi enim hi ſuperbos ac Monarchicos Imperatorum & Pontificiorum ſpiritus validiſſimo depreſſiſſent exercitu, lux Evangelii, ſuperiori ſeculo à D. Luthero accenſa, iterum Papiſtis fuiſſe extincta ſuperſtitionibus: Licet non negandùm, poſt obitum Guſtavi Adolphi, *fortitudine & prudentia incomparabilis Regis*, Suecorum arma à prima innocentia multum deflexiſſe. Reliquos acquirendi modos Paſturam videlicet, Venationem, Piſcationem & Agriculturam, eſſe naturales, non eſt dubitandum. Quomodo autem illi à Principibus Germanicis exercendi ſint, ne ipſis damnoſi potius, quam lucroſi exiſtant, jam multis monſtravit Dn. à Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat.

Dicam jam de modis acquirendi artificialibus, qui vel juſti ſunt vel injuſti. De injuſtis nil attinet dicere, cum eorum plures, imò infinitos hominum ſuppeditet malitia. Eos egregiè novit olim Dionyſius Tyrannus, ut de eo refert Autor ille librorum Oecon. qui ſub nomine Ariſtotelis circumfertur, lib. 2. Ad juſtos autem refero (1.) Vectigalia (2.) Tributa ſeu collectas. Id enim juſtum eſt, quod facit ad civitatum conſervationem. Atqui vectigalia & tributa facere ad civitatum conſervationem, præter uſum quotidianum teſtantur plura Politicorum effata. Elegans eſt locus apud Cornelium Tacitum in *lib. 4. Hiſtor.* ubi, *neque quies*, inquit, *gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipen-*

ſtipendia ſine tributis habere queunt. Hinc diſerte in Sacris jubemur vectigalia conſtituta ſolvere. Et Paulus Apoſtolus *Rom.* 13. docet: Tributum ſolvere honeſtum eſſe, atque præceptum conſcientiam obligans. Quamvis autem in Germania Principes & reliqui Status, ne in ſuis quidem territoriis, niſi Imperatore & Electoribus conſentientibus, nova erigere poſſint vectigalia, eadem tamen ipſis percipiendi jus eſt, ita ut ab iis Imperator nemini, in præjudicium dominorum poſſidentium, immunitatem concedere posſit. Quod verò cum aliquando ſibi arrogaſſet Imperator, Principes & Status Imperii Anno 1658. Francofurti *in monitis ad articul. XXIV. Capitul. moderni Auguſt. Imp. Leopoldi*, de eo prudenter ſibi caverunt. Urgent quoque reliqui Status *Collegium præprimis Civitatenſe*, ne Imperatores & Electores cuidam, in præjudicium vicini, vectigal permittant. Et inde orta gravisſima controverſia inter Comitem Oldenburgenſem, Dominum Antonium Guntherum p. m. & Civitatem Bremenſem. Cum enim Anno 1623. prædicto Domino Comiti novum telonium in Viſurgi fluvio concesſiſſet Imperator & Electores, & diploma hujus novi vectigalis Cameræ Spirenſi in vim legis & pragmaticæ ſanctionis inſinuari feciſſet, eidem ſe magnoperè oppoſuerunt Bremenſes non tam armis quam multis egregiis rationibus, quas in compendio exhibet Dominus Burgaldenſ. *ad Inſtrument. Pacis*

 part.

part. 3. *Diſcurſ.* 12. *p.m.* 1289. Aſt his non obſtantibus, Ferdinandus III. in Inſtrum. Pac. Anno 1647. Regum intereſſentium, Daniæ videlicet & Sueciæ, conſenſu, illud confirmavit. Cui legi cum tamen Bremenſes ſtare non vellent, An. 1652. die 12. Octobr. Pragæ in bannum declarati, eique pœna 200. marcarum puri auri adjudicata eſt. Aſt Ratisbonæ Anno 1653. rurſus banno ſunt abſoluti, cum cautione de non amplius Comitem in exactione vectigalis turbando.

Cum autem bona vectigalium inſtitutio inſigne Reipublicæ afferrat emolumentum; mala verò irrecuperabile damnum, Lectori non ingratum erit, ſi pauca quædam ex Politicis, de modo inſtituendi vectigalia, diſſeram. Imponuntur autem ſine dubio rebus tam exportandis, quam importandis: Solvuntur à perſonis. Quænam autem perſonæ, an omnes, an certæ quædam vectigal ſolvere debeant, & an pro omnibus rebus idem vectigal ſit ſolvendum, conſilio ſanè opus eſt. Si Regnum quoddam aut Civitas bona quædam habet, quæ ab exteris deſiderantur, nec aliunde peti queunt, illa ſatis commodè magnis vectigalibus onerare poteſt: Si autem eadem aliunde etiam petere licet, remiſſus in vectigali exigendo, ne commercia aliò transferantur, erit agendum. Quod & à Rege Poloniæ obſervatum eſſe, non puto multos latere. Cum enim ante aliquot annos frumentum, quod in Dan-
tiſca-

tiſcanos & Pillavianos portus venerat, Rex Poloniæ majori vectigali onerare decreviſſet eique à Batavis objiceretur, idem ex Moſcovia peti poſſe, ab incepto Rex, *magno ſubditorum ſuorum bono*, deſtitit. Quotuſquis item eſt, qui non videat graviſſimam ex eodem fonte natam commerciorum maris Baltici urbium jacturam? dum ſcil. omnes ferè portus nimio vectigali gravantur, hinc fit, ut commercia inde in Moſcoviam transferantur, ita ut non dubitent Batavi aliique, merces olim hiſce quaſi proprias delinandi vectigalium oneris cauſa, jam ex urbe Ruſſorum Archangelo, quamvis longiore & incommodiore via, advehi curare. Et contra hoc Politicum multi Germanici Principes etiam vehementer peccant.

Res, quæ importantur, vel faciunt ad neceſſitatem, vel ad luxuriam. Illis, quæ ad luxuriam faciunt, magna quoque vectigalia imponi & tutum & ſimul juſtum eſt. Ea enim ſi non amplius importantur, Res publica emolumentum potius quàm damnum ſentit. Jam verò ſingulæ ferè Germaniæ provinciæ, Saxonia tam inferior quàm ſuperior, Miſnia, Franconia, Thuringia, Bavaria, *Batavia*, loca Rhenana, Suevia, Holſatia &c. ita ſunt comparatæ, ut nulla harum uberrimos rerum ad vitam neceſſariarum proventus deneget. Hinc pleriſque rebus v. g. vino Gallico, Hiſpanico, panno Anglico & Batavico. ſerico, aromatibus Indicis, aliiſque ad luxum facienti-

bus rebus, magnum ſine injuſtitia & Reipublicæ læſione à Principibus imponi poteſt vectigal. Nec etiam credo quenquam temerè improbaturum vectigal, quod Tabaco, quo nunc multi in ſuam abutuntur perniciem, exemplo Batavorum & Anglorum, imponitur. Et quis non inſtituti prudentiam laudaret, ſi pro ſingulis chartis luſoriis quæ ex Neapolitano regno ad nos vehuntur, non leve pendi curetur vectigal?

Illis autem rebus, quibus ſaltem cives ad victum utuntur, non eſſe imponendum vectigal, Politici conſtanti docent ore. Hinc & olim ab Imperatore Conſtantino *lib.* 5. *C. de vectig. & commiſſ.* fuit conſtitutum, ne à provincialibus pro his rebus, quas ad uſum proprium vel ad fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gentia revehunt, ullum à Stationariis exigatur vectigal. Multò minùs pro frumento, quod ad molendinum defertur, vectigal eſſe ſolvendum, recte cenſet Arniſæus *lib.* 3. *de jure Majeſt. cap.* 7. Quantum enim vectigalia hæc Rebuſpublicis noceant, non tamen antiqua, quam recentia teſtantur hiſtoriarum monumenta. Quantas & quam ferales ejuſmodi vectigal Anno hujus ſeculi 47. Regno Neapolitano turbas dederit, credo ego univerſo orbi non ſine horrore conſtare. Nil tamen prohibet, ſi urgeat Reipublicæ neceſſitas, & hiſce aliquod exiguum vectigal imponere, quod hodiè in Germania non ſolùm, *vid. Coper. p.* 1. *Deciſ.* 50. ſed & omnibus penè non

non Europæ duntaxat, ſed & Aſiæ Rebuſpublicis, practicare teſtis eſt experientia. Vocatur hoc vectigal peculiari nomine Acciſum Germanicum Acciß / fortè à vocabulo Gallico aſſiſe. A quo non diſſimilis eſt ea vectigali s ſpecies, quæ Germanicè vocatur Ungeldte / & ab iis poſcitur, qui in cauponis publicis vendunt aut cereviſiam, Tranck-Steuer. Item, ſi quis carnem vendit, Fleiſch-Steuer / aliaque plura.

Nunc de perſonis vectigal ſolventibus. Sunt autem illæ, quæ vel ex loco vel in ſeu per locum, ubi vectigal conſtitutum, merces portant vehuntque. Nec temerè Principes quenquam ab illius ſolutione immunem facere debent: Cum hoc Principibus non ſolùm exiſtat odioſum, ſed & ærario damnoſum. Hinc non immerito conqueritur Bodinus *lib.* 6. *de Republ. c.* 2. de abſurda Galliæ, & ex ea, præter varias alias, in Germaniam noſtram perſimè tranſlata conſuetudine, ubi Nobiles, Magiſtratus & Sacerdotes à vectigalium ſolutione immunes habentur. Nonne quæſo abſurdum eſt, eos, qui divitiis maximè prævalent, & ex Republica maxima accipiunt bona, *quales ſunt Nobiles & Magiſtratus*, à vectigalibus immunes eſſe? A Sacerdotibus quidem aliqua prætenditur pietatis ratio, cujus vel leviſſimum fundamentum in S. Bibliis tamen offendere non licet: Summus n. Sacerdos, Chriſtus ipſe, reliquis omnibus

nibus exemplo ſuo præivit; & drachman ſolviſſe, teſtem in Scriptura Sacra habemus S. Euangeliſtam Matthæum *cap. XVII. verſ. ultimo.* Plura non dico,ne fortasſis offendam eos, quibus vel ob unicum verbulum, ordini ſuo damnoſum, cœlo interdicere ſolenne eſt. Suppellex tamen Scholarium libraria à vectigalibus optimo jure immunis eſt. Quomodo autem illam immunitatem ex *Authentica habita C. ne filius pro patre, quam Fridericum. II. Imperator condidiſſe legimus*, extorquere velint, ego non video. Verba ita ſonant: *Habita quidem ſuper hoc diligenti inquiſitione Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, omnium judicum & aliorum procerum ſacri noſtri palatii examinatione, omnibus, qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, Scholaribus, & maximè divinarum atque ſacrarum Legum Profeſſoribus, hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quam eorum nuncii veniant, & in eis ſecure habitent.* Tutius igitur hoc privilegium ſuum ex longa conſuetudine, eaque rationabili, quàm ex verbis illis Authent. deducere exiſtimo. Quamvis & hujus plurimis in locis exigua habeatur ratio.

Jus collectandi ſeu tributa imponendi ſingulis Germaniæ Principibus competere, extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Et quoniam olim Germani, teſte C. Tacito *de Germania moribus*, ſponte ſua ſoliti ſunt conferre, quicquid penſitarunt, tributa

lin-

lingua vernacula Bethen (*quaſi* erbethene Einkunfft) vocarunt: Quod molle ac populo minimè ingratum Principes in Germania ex ſingulari ratione Politica retinuere; licet hodie non amplius rogentur, ſed jubeantur, ut dici poſſint Bethen quaſi gebotene Einkünffte. Juſtum autem deſtributivum exigit, ut collectæ obſervata proportione Geometrica, ſecundum cujuſvis quantitatem bonorum, redituum, fructuum & obventionum, Nach eines jeden Taxt / vermögen / und Neiſſung / exigantur & imponantur. Hinc capitatio ſeu capitalis cenſus Kopff / Steuer meritò à ſanioribus Politicis rejicitur: Hic opulentis quidem levis eſt; Aſt ruſticos & colonorum tenuiores ita ſæpè premit, ut non penum aut ſtratum relinquat, in quo ſaltem perculſi quieſcant. Pejor autem ille mos eſt quorundam locorum, ubi non tantùm capita hominum, ſed & equorum, aſinorum, boum, vaccarum & ovium &c. ab ipſorum dominis ſunt redimenda, & vocatur Klauen / Steuer. An autem ille modus, quo ſingulorum caminorum nomine extra tecta prominentium ædium tam urbanarum, quàm ruſticarum tributa exiguntur, juſtus & Reipublicæ utilis ſit, vehementer adhuc dubito. Obſervatur hic modus collectandi in Batavia, & vocatur Fumarium Herdt / Zinß. Nec Germanis eſſe ignotum teſtan-

tur die Rauch-Hüner / quas ruſtici certo quodam anni tempore ſuis mittere obligati ſunt dominis.

Exigit quoque juſtum diſtributivum, ut is, qui commoda ſocietatis ſentit, & pro rata onera perferat. Unde nec ab illis artifices & opifices immunes eſſe convenit; ſed quemlibet illorum in tantum ad collectam concurrere juſtum eſt, quantum lucri ex opificiis capit, & inde quæſtus facit. Quod & Bodinus *lib. 6. de Republ. cap. 2.* ſuadet. Imò, ſi reſpectu univerſæ tranquillitatis, extraordinariæ collectæ indicendæ veniunt, ne operarii quidem Taglöner / Holtzhauer / ab iis eximendi ſunt: Eoſdem enim, ſub clypeo Principum & civitatum, manuum laboribus lucrari non pauca quotidiè videmus.

Quid autem de illa Nobilium immunitate, quam jure non ſcripto defendunt, ſit ſentiendum, & an tolerari debeat, nolo diſputare. Eandem graviter impugnat Thomatus *de Collectis §. exactus*, cui plurimi etiam Politici moderni adſentiuntur: Maximè præterea diſſuadentes, ne ulli cuidam, ne ſuis quidem Conſiliariis, *qui ſibi libenter hoc beneficio proſpicere ſolent*, aliiſque Officialibus hanc immunitatem *ab oneribus realibus* concedant. De quo modo jam ante aliquot ſecula vehementer conqueſta eſt plebs Germanorum: Condere videlicet Proceres ad divites decreta: Aſt inopes ſolvere tributa. Et

vereor,

vereor, ne aliquando in modum Eſopici equi, partem oneris recuſantis, aſino ſuccumbente ac pereunte, onus integrum, qui immunes eſſe volunt, perferre cogantur. Add. Contz. *lib.* 5. *Polit. c.* 7. & 8. ubi notabiliter addit, omnes ſeditiones, quæ à ducentis retrò annis Germaniæ provincias civitateſque concuſſerunt, à privilegiis immunitatibuſque ſuam traxiſſe originem.

Multum quoque acceſſionis ad Principes ærarium, per mercaturam pervenire poteſt, præcipuè ſi regio aquis navigabilibus inſtructa & alias natura commerciis exercendis fuerit idonea, abſurda enim illa, quæ hactenus invaluit, eſt opinio, Principibus & Nobilibus eſſe dedecoroſum, exercere mercaturam, ut benè etiam notat Celeberrimus Forſtnerus *ad Tacit. lib.* 3. *Annal.* eſt enim, docente Ariſtotele *lib*, 1. *Polit. cap.* 7. triplex mercatura (1.) Nautica, (2.) Vectoria (3.) Stataria. Hæc poſterior, non priores Principes dedecent. Et de Salomone 1. *Reg. X. verſ.* 22. quod cum Hiram maritæ operam dederit mercaturæ, prædicatur.

Ego tamen conſultius puto, ſi ad promovenda commercia Principes induſtriis pecunias contribuant mercatoribus; ut ita ſuam cum publica augeant utilitatem: Quemadmodum inter Venetos, Luſitanos & Genuenſes hoc practicatum ſcribit Tholoſan. *de Republ. lib.* 3. *c.* 6. Mercatura enim totum exigit hominem: Et ut plurimum Principes ab

 inſti-

inſtitoribus ſuis decipiuntur. Si autem natura aquas navigabiles non ſuppeditat, eaſdem tales arte & induſtria humana fieri, curare debet, ſicuti *Brentæ* exemplo prope Batavium, aliiſque conſtat, cujus aqua coarctatur interſtitiis & receptaculis quibuſdam, vulgò Schleiſſen. Et hodiernum Rex Galliæ duo maria, inaudito exemplo conjungere tentat, qui labor improbus, niſi incaſſum abierit, non immortale ſolùm nomen, ſed & incredibile ærario ſuo parabit augmentum. Memini quoque ante aliquot annos Oderæ partem in Spream, & exinde in Havelam, potentiſſimum Electorem Brandeburg. *æternum Germaniæ decus*, felici deduxiſſe ſucceſſu. Hos reliqui ſibi imitandos exemplo habeant.

Huc referri merentur etiam Monopolia & Propolia, quæ quoſdam Principes, non ſine ingenti ærarii incremento, exercere videmus. Sanè quicquid opum & divitiarum, *quibus ſuperat omnes Germanicos Principes*, potentiſſimus Elector Bavaricus, Ferdinandus Maria poſſidet, id ipſum omne ſalis, & cereviſiæ debet monopoliis. Licet enim, ordinario jure, monopoliorum uſus ſub gravi pœna in noſtro Imperio ſit prohibitus; dantur tamen tres potiſſimum cauſæ, videlicet (1.) Publica neceſſitas (2.) communis utilitas (3.) ſingularis æquitas, ob quæ eadem quilibet Princeps in ſuo territorio exercere poſſit: Quicquid enim injuſti & iniqui monopolia

alià s.

aliàs comitatur, his ipſis, *communi politicorum ſchola docente*, tollitur.

Sunt & plures alii modi augendi ærarium non tàm à Romanis olim, quàm ab Italis & Batavis noviter exculti, de quibus omnibus hîc dicere operæ non eſt prætium: Eos enim non in omnibus Rebuspublicis imitari licet, & dum quidam eoſdem imitari ſtudent, diverſitatem terrarum non obſervantes, Rebuspublicis ſuis ſæpè plus nocent, quàm proſunt. Occurrit mihi (1.) Lex Julia, ab Auguſto lata, qua cautum, ut quæ hæreditates, Legata, donationes-ve mortis cauſa ad alios pervenirent, earum pars 20. ad Fiſcum pertineret. Et quamvis hic modus Reipublicæ non ſolùm utilisſimus, ſed & cuique privato haud ingratus eſſe poſſet, Romana tamen hæc viceſima apud nos ab uſu receſſit. Minimè igitur culpandum jus detractionis & emigrationis, vulgò Abzug/ Nachſteuer ad imitationem illius in plerisque Germaniæ locis, receptum: Cum enim apud nos unicuique licitum ſit, ſi liberos non habeat, extraneum quendam hæredem inſtituere, omniaque ſua bona relinquere; aut, ſi liberos habeat, legata aliis opima dare; profectò non injuſtum erit, ſi Magiſtratus loci ab illis hæredibus vel legatariis, ex hac civitate in aliam, hæreditatem ſeu legatum transferentibus, vectigal quoddam exigant. Quod vectigal etiam approbatum eſt in Reichs-Abſchied de Anno 1555. §. Wo aber,

Porrò cùm in Germaniæ pleriſque locis unicuique licitum ſit domicilium ſuum alio transferre & emigrare, modò id malitioſe non fiat, æquum ſanè eſt, ut is, qui per totam vitam fortè privilegiis, ſubſidiis & protectione alicujus Principis ſeu Reipublicæ gaviſus eſt, diſcedens, reſque ſuas ſecum auferens, pro remuneratione Principi vel Reipublicæ aliquid relinquat. Quantum autem relinquere debeat, an decimam, an vigeſimam, an trigeſimam &c. determinare equidem, ob circumſtantiarum varietatem, certò non poſſum. Puto hac in re quemlibet Principem, peculiare poſſe ſancire legem. Confiſcatio autem ſeu bonorum alicujus damnati Fiſco addictio, meritò ab Imperatoribus Romanis eſt abrogata, nec in Reſpublicas rectas introduci poteſt. Illorum tamen, qui hodiernum crimen læſæ Majeſtatis committunt, bona, quin Fiſco rectè attribuantur, aſſerere non dubito.

Non poſſum non hîc loci Batavorum & Italorum ingenioſos nonnullos laudare acquirendi modos: In Italia alicubi cui filia naſcitur, dotalem ille infert in ærarium pecuniam, hac lege, ut mortua infra octodecim annos, nihil repetere poſſit: Quod ſi verò decimum octavum annum attigerit, decuplum, teſte Bodino *lib. 6. de Republ. c. 2.* Hollandi parvum & magnum invenerunt ſigillum, cui tributum impoſuerunt, ſancientes, ne contractus inſtrumenta, aut quic-

quicquid in judicium deducitur, valeat, niſi ejuſmodi ſoliis papyraceis ſigillo ſeu majori ſeu minori munitis deſcriptum fuerit. Hac ratione, cum nemo apertè adeò gravetur, incredibile tamen dictu eſt, quantum inde pecuniæ ad Rempublicam perveniat. In Italia quoque & Belgio pro carrucarum Kutſchen uſu vectigal ſolvendum eſt. Qui cum apud nos in luxuriam paſſim abeat, nec imprudenter, nec injuſtè, illorum uſu ſuperbientibus grave quoddam imponeretur vectigal.

Multum autem facit ad ærarii augmentationem, ſi, an Auguſti exemplum, breviarium conficiat Princeps, in quo omnes publicos reditus, neceſſitates ac largitiones annuas præſcriptas contineat, quodque diurna & nocturna verſet manu, ne ſupra ærarii vires faciat ſumtus. Plurimum quoque conferet, ſi miniſtrantium, in aula non ſolùm, ſed & in toto Principatu, coarctetur numerus: Si ludendi & immodicarum largitionum retineatur modus. Si omittantur convivia Sybaritica, clangoſi Symphoniaci, ignes artificioſe ſalientes, ſcurræ, hiſtriones & ſimilia, quibus pecunia publica dilapidatur. Obſervandum potius prudentiſſimi Boleſlai I. Polonum Regis exemplum, qui dictaſſe ſolitus fertur: *Se malle Gallina veſcentem, ſalutem populi tueri, quàm per delicias illum injuria opprimere.* Sunt plura alia, quæ Oeconomia aulica ſuppeditat, eaque qui addiſcere cupit, illuſtriſſimas ſapientiſſimorum Mauritorum

&

& Erneſtorum, *Germaniæ Atticorum*, adeat aulas, ubi feliciſſimam præterea artis χρηματιστικῆς Praxin in compendio quaſi videndi copia datur.

Ipſius verò ærarii curam quod attinet, ea ad præcavendum peculatus crimen non uni, ſed pluribus eſt committenda & penes alios imperium, penes alios cura & cuſtodia pecuniæ, penes alios accipiendi & expendendi ratio eſſe debet. Ita enim omnibus dolis ac fraudibus Fiſco Præfectorum occurri poteſt: Secus ſi fiat. ærarium ſemper laborabit, & Princeps quotidiè ut de Eryſichtonis fame narratur, indigebit. Ita apud Romanos penes Senatum fuit Imperium, penes Quæſtores ærarii cuſtodia, à quibus Cenſores & nonnunquam Senatus rationem expoſiti quærebant. Quod prudens Romanorum inſtitutum Regi ſuo etiam commendavit πολιτικώτατος Cardinalis Richelius, Regni Gallici quondam Miniſtriſſimus. Is enim, *cum collapſo Veterivillano fiſci Præfecto, Rex ſucceſſorem quæreret*, conſilium dedit, ut eidem muneri duo Miniſtri præficerentur: Cùm longe diverſiſſima ſit ratio adminiſtrandi fiſcum, ad ſummum Miniſterium. Nam diſcordiam & invidiam plerumque turbas gignere in ſummo Miniſterio: In fiſci verò negotiis graviſſimam conſtituere adverſariam, cum fieri non poſſit, ut æmuli bello Hiſpanico tributas pecunias intervertant, reciproco indicii metu. Vide Autor. *Hi-*

ſtoriæ.

ſtoriæ de Miniſterio Cardinalis Richelii p. m. 32.

Quales autem ſint ærario præficiendi, itidem prudentiſſime modò laudatus Cardinalis conſuluit: Illos ſcilicet, qui per ætatem uſumque rerum maturuiſſent, iſti muneri inprimis congrui, cum ſenes ſponte ad parſimoniam inclinent, autoritate præpolleant ad onera populo perſuadenda: Experientiam vero rerum apprimè neceſſariam, ne ſenes deſpectui ſint, ſed ſolidiſſimo ſapientiæ fundamento innitantur, fallaciis fortunæ multoties deluſi ſuo damno in paucis fidem, media ſubleſta ſemper habere. Eſſe præterea debere mediocres inter inopiam & nimiam potentiam: Inopes enim tentationibus incurſari de intervertenda pecunia, ad conſulendum rebus anguſtis; potentes verò quidvis audacter rapturos. Ingenii autem acumen, quibus ordo domi eſſet curæ, cum non facile ſummis proxima mediocri fortunæ fuit credenda; & ab inordinatis fruſtra ordinem expectes. Quæ rationes etiam Regem ſtatim ita moverunt, ut Champinnium & Mariliacum, *dotibus illis inſtructos*, præfecerit fiſco. Suadent quoque nonnulli cœlibibus potiſſimum & Clericis id muneris eſſe demandandum, utpote qui ob liberorum carentiam, propriæ acquiſitioni plane non ſtudere præſumuntur. Sed eoſdem falli, docet uſus quotidianus: Avariſſime ſcilicet populum haberi plerunque à cœlibibus illis, familiæ ſuæ locupletandæ ad infamiam uſque deditis, Curia Rom. teſta-

teſtatur. Ejuſmodi peculatus in Gallia ſunt frequentiſſimi. Et ante paucos annos Fouquet tam enormem commiſit peculatum, ut paſſim in proverbium abierit, Fouquetiſiren, hoc eſt, peculatum committere. An autem propterea perpetuis addictus fuerit carceribus, ii, qui aulæ Regiæ arcana norunt, dubitant. Plurimi ſanè eundem propterea carceribus incluſum arbitrantur, quod ejuſdem puellæ, quam Rex impensè amavit, demereri niſus eſt amorem. Judicium aliis relinquo. Plura qui de ærarii cura noſſe cupit, adeat Clariſſimum Dominum Martinum Schoock. *ad Clapmar. lib. 8. cap. 20.*

CAP. XI.

Ubi concluditur, ſingulos Germaniæ Principes habere Majeſtatem.

ET hæc ſunt jura, quæ ſingulis Imperii Germanici Principibus, non tantum Proteſtantibus, & Reformatis, ſed & Romano-Catholicis tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus, *excepta Jurisdictione Eccleſiaſtica*, competunt. Quis itaque amplius dubitabit, Principibus Germaniæ competere Majeſtatem? Dubia illa, quæ movet Bodinus, ſubtiliſſimus aliàs Vir, *lib. 1. de Republ. cap. 10.* ſpecioſa quamvis videantur, ipſis tamen nihil ineſ-

ineſſe ponderis, perlecto integro diſcurſu noſtro, apparebit. Imò ex ipſius Bodini aliorumque Doctorum ſcriptis, Majeſtatem Statuum Imperii Germanici impugnantibus, veram illis competere Majeſtatem probatu non eſt difficile: Nam ſine dubio is, qui habet Regalia, habet Majeſtatem: Regalia enim, præprimis majora, Feudiſtis communitur docentibus, nil aliud ſunt quàm jura Regia, quæ in Adminiſtratione Reipublicæ univerſa conſiſtunt. Atqui Principes Imperii Germanici habent Regalia, ut nullus illarum in dubium vocavit, nec vocare potuit. Ergò etiam habent Majeſtatem. Accedit, quod in Aur. Bull. *tit.* 24. expreſsè dicatur, in Electores committi poſſe crimen læſæ Majeſtatis; quare, ſi in Electores committitur Crimen læſæ Majeſtatis, neceſſe eſt, ipſos Electores habere Majeſtatem. Et paſſim Doctores docent. Electores revera eſſe Reges, iiſque æquiparari, licet non ita vocentur. Vid. Heig. *part.* 1. *quæſtion.* 4. *num.* 5. Si itaque tribuimus Electoribus Majeſtatem, quo quæſo jure eandem denegabimus reliquis Principibus, qui non ſunt Electores? Illi enim licet plus valeant in Comitiis, in ſuis tamen Provinciis ſingulorum Principum ac Electorum æqua eſt poteſtas: & in ſuo territorio ultimi ſubſellii Princeps tantum valet, quantum Elector in ſuo. Et jam olim rectè ſenſere Bocerus & Gigas, ille *in Tractat. de Crim. Majeſt. c.* 2. *n.* 108. *& ſeqq.* hic *in Tract. de Crim.*

Crim. Majeſtat. lib. 1. *quæſt.* 20. *num.* 1. *&* *ſeqq.* etiam in cæteros Imperii Principes, qui non ſunt Electores, committi poſſe crimen læſæ Majeſtatis. Quos etiam novisſime ſequi videtur Nobiliſſ. Dn. D. Struvius *in Syntagmate Juris Civil. Exercitat.* 49. *theſ.* 18.

An autem Civitatibus Imperialibus hæc jura, in præcedentibus memorata Capitibus, & per conſequens Majeſtas ſit tribuenda, majus fortasſis inter Publiciſtas oriri potuit dubium. Sepoſitis autem Doctorum antiquorum opinionibus, ex Inſtrument. Pacis Oſnabrugenſ. Cæſareo-Suecic. *Art.* 8. *verſ. tam in vniverſalibus*, videtur reſpondendum, quod ſic, eoſque cum Principibus reliquis pari planè gaudere jure; quamvis nec in hunc uſque diem illæ impetrare potuerint, ut in Comitiis Imperii ad Re- & Correlationes cum Principibus admittantur: Juſtè, an injuſtè, mihi, hactenus à nullo mercede conducto, affirmare vel negare non licet. Qui intereà nobilem hanc Juris publici controverſiam legere cupit, adeat Dominum Eitel Fridrich von Herden inder Grundfeſte des H. Römiſchen Reichs: Qui eam nervoſe tractat.

Cur autem plerique Doctores in Majeſtate Statuum propugnanda timidi aut dubii fuerint, brevibus explicabo. Prima cauſa videtur eſſe capitalis ille & à modernis Politicis abundè refutatus Legiſtarum error, Romanum

num Imperium, hodiè vigere in Germania, & per conſequens modernos Imperatores eandem habere, quam olim Romani Imperatores habuere poteſtatem, docentium. Hac hypotheſi ſtante, fateor non potuit non ſequi, Principes noſtros eſſe ſaltem Magiſtratus, & nullo modo habere Majeſtatem: Aſt modernum noſtrum Imperium Germanicum à Romano toto cœlo eſſe diverſum, imò ne laciniam quidem priſtini Imperii Romani, multo minus quartam Monarchiam dici poſſe, latè probavit Dn. D. Conringius *in aureo Tract. de finib. Imp. German.* Ideoque nolo jam poſt Homerum Iliada conſcribere. Agnoverunt quoque hunc Bartoli Baldique errorem alii plures, nondum tamen de Imperatore, ejuſque, ut & Principum poteſtate, eo, prout decet, locuti ſunt modo. Alia enim fuit ratio Imperii Germanici ſub Carolo Magno, ejuſque Succeſſoribus, alia ſub Henrico Aucupe horumque Succeſſoribus. Sub Carolo M. Principes ſeu Duces, ut & Comites non multum videntur diſtuliſſe à præſidibus provinciarum, uti hoc teſtatur Vadianus *lib. 1. de Colleg. Monaſt. in Germ. veteri. Perinde,* inquit, *ut apud Romanos Proconſules, Præſides, Quæſtores, Procuratores: Ita in Francorum regno Duces, Comites, & qui Cameræ Nuncii dicebantur, alienæ poteſtatis functionem gerebant.* Si autem rem rectius perpendimus, magna itaque adhuc inter Præſides illos Romanos & Duces Germaniæ

niæ fuit differentia: Romani enim Imperatores revera merum, *mixtum ſaltem ſimulantes*, exercuêre Principatum, ut ſuprà cap. 1. probavi, ideoque Præſides illi erant nudi Imperatorum Officiales ſeu Miniſtri. Aſt Francorum Regnum fuit Principatus mixtus: Reges enim Francorum non erant ſolùm aſtricti legibus, maximaque Principatus negotia ad Procerum & populi Comitia referre tenebantur, ut pluribus docuit modò laudatus Dominus Coring. *de Imperatore Romano-Germanico.* Aſt tempore Henrici Principatus ille unicus in multos Principatus dividi eoque ex tempore alia longè conditio Ducatuum & Principatuum fieri cœpit, ac eorundem ſub Carolinæ familiæ Imperatoribus olim fuit, ut ſequenti capite latiùs dicetur.

CAP. XII.

Ubi de origine modernorum Principatuum ex fundamentis Hiſtoricis diſſeritur.

CUr, quomodo, & quando, magnus ille Principatus Germaniæ fuerit reſolutus in multos minores Principatus, & poſteà hi iterum in unum corpus, quod Imperium vocare conſuevi, coaluerint, illis, qui Hiſtoriam Germaniæ ſolidioribus jungunt prin-

principiis Politicis, ignotum eſſe non poteſt.

Multorum certè ſeculorum experientia, multorumque Principatuum exemplo conſtat, magnis latiſque Principibus nullum gravius malum imminere, quam à mala Magiſtratuum conſtitutione: Si enim à Principe uni perſonæ ſeu Magiſtratui plurimum civitatum potentiorum aut magnarum Provinciarum longo tempore concedatur adminiſtratio, facili negotio ille Magiſtratus, adeptus occaſionem, quam malis invenire non eſt difficile, contra Principem ſuum novi quid moliri poteſt vel deficiendo ad alium quendam, vel ſibi ipſi novum Principatum condendo. Elegans exemplum habemus apud Cornelium Nepotem *in vita Alcibiadis.* Hinc nata eſt Ariſtotelis regula Politica, quam habet *lib.* 5. *Polit. c.* 8. nimirum magnos Magiſtratus non eſſe uni conferendos, aut ſi ſint uni conferendi, eas non debere eſſe diuturnos. Hujus unicæ regulæ neglectum, Romam ſervitiis mancipaſſe, Nicolaus Machiavellus *de Republ. lib.* 3. *cap.* 24. docet, & unicum Germanorum Principatum in multos minores diſſolviſſe Principatus, jam jam demonſtrabo. Prudentiſſimus ille Francorum Rex, Carolus Magnus, hactenus diſperſos Germaniæ populos, ductis in Saxones copiis, Oſtphalos, Angarios, Heſſos, ſe dedentes, ſuo ſubjecit Principatui, & ita latiſſimè patentium Provinciarum factus eſt Dominus, quos, majorum ſuorum exemplo, per ſuos

ſuos Herzogios tractu temporis gubernavit. Hic autem prudentes majorum ſuorum errore animadverſo, pleroſque Ducatus lata nimis ſpatia complexos ſuſtulit, & provincias ampliores in plures diviſit partes, eaſque Comitibus regendas tradidit. Et iſthæc munia, prioribus licet longè fuerint minora, prudenter tamen Carolus haud quicquam in perpetuum aut jure hæreditario illis conceſſit, ſed eadem revocandi & in alios conferendi liberam retinuit poteſtatem. Non tamen ad nutum fuere removibilia officia iſta, ut teſtatur Nicolaus Cuſanus *lib. 3. de Concordia Eccleſiaſtica.* Juramento enim ſolenni aſtringebantur Reges, ne cuidam honorem hunc, niſi jure ac judicio auferrent. Sed malo totius Regni, poſteri Caroli M. illius ſaluberrimi inſtituti parum memores, Ducum officia revocarunt, illaque ad dies vitæ non ſolum conſtituerunt, ſed & filios patribus ſemper ſurrogarunt. Quo ipſo nacti ſunt Duces illi egregiam occaſionem proprias opes ſtabiliendi, provinciaſque ſibi concreditas reddere patrimoniales. Acceſſit quoque, ut in magnis Principatibus evenire ſolet, inter Reges & Duces diſcordia, quæ quantum regna etiam validiſſima debilitare poſſit, modernus Principatus Polonicus nos abundè docet. Vix igitur aliter fieri potuit, quin pro ſe quiſque Ducum, qua parte poterat, quo jure nunc non diſputabo, ſe poteſtati Regum eximeret, & peculiarem Principatum inſtitueret. Primas

hac

hac in re Scriptores deferunt Ottoni, ejuſque filio Henrico, Saxoniæ Ducibus, qui bellicoſam ſub ſe habentes nationem, contra Reges inſurrexere,& Regiam verè poteſtatem in ditionibus ſuis exercere cœpere, ut ita Henrico præter titulum nihil planè defuerit, uti hoc teſtatur Crantzius *lib.* 2. *Saxoniæ. Erat*, inquit, *inter omnes Regni Principes præpotentes ac viribus formidabilis: Qui primus libera poteſtate Principatum Saxoniæ adminiſtrabat: Nam majores ejus ſub Regibus delituerunt.* Tentabant idem Arnoldus Bojoariæ, Burgardus Sueviæ, Eberhardus Franciæ, Giſelbertus Lotharingiæ, Duces, quos omnes tamen, excepto Arnolpho, ultimus Carolinæ familiæ Succeſſor, Conradus I. qua ſapientia, qua fortitudine revocavit ad obedientiam. Henricus verò, quoniam vi frangi non poterat, hinc eum Conradus, opera Hattonis, Archiepiſcopi Moguntini, hominis fraudulentisſimi, è medio tollere tentavit. Sed patefactò veteratoris dolo, incanduit Henricus, miſſaſque in ſe Conradi copias tanta cecidit ſtrage, ut proverbio jactarent Saxones: Ubi infernus, qui tantam cæſorum capiat multitudinem. Videns itaque Conradus, Henricum neque vi, neque fraude, in ordinem redigi poſſe, morti vicinus, vocatis ad ſe fratribus & cognatis, ut diadema regium in Henricum, utpote potentia animique virtute ad culmen illud apti ſimum, *prudentisſimo profectò Conſilio* jusſit, conſultius

cre-

credens ultro dare, quod per vim ipſe ſibi ſumere poterat, aut ne iſte à reliquo ſeſe Germaniæ diſſociaret corpore. Et ita etiam, accepto ſucceſſore Henrico, Conradus deceſſit, eo maximè memorandus nomine, *quoad fati præſcius, majorem Reipublicæ curam, quam ſuarum neceſſitudinem cupiditatumque habendam duxit.*

Poſtquam verò Henricus, *cognomine Anceps accepto*, ad Regimen pervenit labantis Principatus priſtinum decus reſtituere ſummis laboravit viribus. Arnoldum enim Bavarum ab Hungaris reducem, non tam bello quam prudentia pacavit. Aſt eo mortuo, Duces de regiminis libertate, quam ſemel guſtarunt, iterum cogitarunt, Regibus ſuis ſurdas præbentes aures. Comites quidem aliquanto diutius manſere in officio, ſed in dies cum per bella Civilia tum per alias temporum injurias, magis magiſque decreſcente vi & authoritate Regum, factum eſt, ut Comites etiam, licet dignitate Ducibus multum inferiores, eandem uſurpare libertatem, & tractu temporis, (cum Rerumpublicarum mutationes pedetentim fiant, teſte Ariſtotele *lib.* 5. *Polit. cap.* 3.) eadem poteſtate ditiones ſuas poſſidere & regere cœperint. Et hæc fuit origo Principatuum Germaniæ ſæcularium.

Principes Eccleſiaſticos ſeu Epiſcopos quod attinet, illi longè ante Ottonem jam ætate Caroli M. inter Germaniæ proceres,

ſi

ſi fides Thegano habenda, relati ſunt: Quorum plures Carolus Magnus in Germania potiſſimum in Saxonia inſtituit, iiſque ſummam in Eccleſiaſticis attribuit dignitatem ac autoritatem, eo conſiliô, quo Gentes primum converſæ inſtitutioni Epiſcoporum in religione perficerentur ac ſacra ipſorum autoritate continerentur, ne à fide rurſus deficerent. Verum ſecularem poteſtatem illis Carolum attribuiſſe, eſt contra omnem fidem hiſtoricam. Hanc enim ipſe Comitibus & Advocatis Eccleſiæ à ſe cônſtitutis demandavit, uti oſtendunt diplomata Caroli Magni de Epiſcopatibus eorum, in quibus nulla fit jurisdictionis ſecularis mentio. Invaleſcente autem progreſſu temporis poteſtate ac autoritate Epiſcoporum, iſtis ſecularis poteſtas ab Imperatoribus attributa. Primum Bruno Epiſcopus Colonienſis ſecularem nactus eſt poteſtatem, accepto à Fratre Ottone M. Lotharingiæ Ducatu. Idemque Otto filio Wilhelmo, Archiepiſcopo Moguntino, ſimili jure Haſſiam & Thuringiam dedit, aliis dedit alia., quod exemplum deinde ſucceſſores ejus ſunt ſecuti. Haud tamen alienum à verò videtur, quod M. Antonius de Dominis *lib. 6. de Republica Eccleſiaſtica cap. 7.* notat, Reges, qui dignitatibus & opibus Regalibus evexerunt Epiſcopos, non tam pietate & religionis ſtudio, *ut putat Dominus de Monzambano de Statu Imperii Germanici cap. 3. §. 7.* quam Dominatus ſui firmandi cauſa, vel, ut

F hodiè

hodiè loquimur, Ratione Status adductos fuiſſe. Longè enim conducibilius ſibi putabant Reges, ſi Epiſcopis regiones & provincias committerent, quam Ducibus: Duces enim hæreditario jure eos tenebant: At Epiſcopis ipſi Imperatores quos volebant per novam inveſtituram dabant ſucceſſores, quos proinde Imperatoribus magis obnoxios fore, ſatis vero ſimile erat. Quamvis poſteà res aliter ceciderit, ut egregiè docet Dn. Ludolphus Hugo *diſſertatione de Statu regionum Germanicorum. c. 1. theſ. 5.*

Et ita vidimus, quomodo magnus ille Germanorum Principatus in multos minores fuerit reſolutus Principatus: Nunc erit inquirendum, qui factum, quod illi Principatus iterum in peculiarem ſocietatem, quam Imperium vocamus, coaluerint. Cauſas hujus rei ſcientia Politica inſtructo dicere non eſt difficile: Nemo enim non videt ſingulos Principes ad ditionem ſuarum Statum rectè conſtituendum & conſervandum minimè ſufficere potuiſſe: Ideoque ne iis idem, quod Græciæ Principatibus ac Civitatibus contigiſſe refert Juſtinus *lib 8. Hiſtor.* accidat, hoc genus ſocietatis, *Imperium videlicet*, inire voluere: *Nam Græciæ Civitates, dum imperare ſingulæ cupiebant, Imperium omnes perdiderunt: Quippe in mutuum exitium ſine modo ruentes, omnibus perire quod ſingulæ amitterent, non niſi oppreſſæ ſenſerunt.* Animadvertẽtes hoc Germ. Principes, de ſtatu beatitudinis Civi-

Civilis conſequendo & retinendo conſilia agitarunt, & ad omnes defectus, quibus ſinguli laborabant, ſupplendos hoc ſocietatis genus elegere: Prudéntisſimo ſanè conſilio. Et ni eodem modo ſibi Italiæ Principes conſulant, vereor, ne aliquando jurium ſuorum Majeſtaticorum miſerandam facturi ſint jacturam.

Nec quiſquam exiſtimet, aliquid Majeſtatis hac in Imperium coalitione Principibus eſſe ademptum: Singuli enim eandem, quam ante conditionem habuerunt, retinuere poteſtatem; de quarundam ſaltem rerum, quibus ſinguli in provinciis non ſufficiebant, cura ad Comitia communi conſenſu ordinanda rejicientes. Quòd verò Principes Imperatorem Dominum Clementiſſimum ſemper nuncupant, ſuumque in omnibus literis prolixiſſimè polliceantur obſequium, id, *ut rectè exiſtimat Monzambano*, ſtylus Curiæ & ſeculi genius produxit, nec plus ferme habet efficaciæ, quam alia verba honoris, in quæ ignaviſſimus quiſque operum ſolet eſſe effuſiſſimus. Ponderoſum autem, fateor, quod de nexu feudali quidam afferunt, eſt argumentum: Nam Vaſallus debet Dn. obedientiam & fidem in omnibus præſtare: Jam verò Principes Imperatoris ſunt Vaſalli. Ergò Principes debent Imperatori obedientiã præſtare. Ex qua concluſione videtur firmiter ſequi: Principes non habere Majeſtatem. Hanc enim qui habet in terris præter enſem ſuperiorem non agnoſcit. Sed huic argumento egrègiè ſatisfacere poſſu-

mus ex Hugon. Grot. *lib. 1. de Jure Belli & Pacis. cap. 3. §. 21.* ubi multis oſtendit nexum feudalem, Neque à parte Domini Majeſtatem, neque à parte Vaſalli impotare ſubjectionem: Feuda enim nil aliud ſunt, quam ſpecies fœderis inæqualis: Fœdera verò inæqualia nec Majeſtatem nec ſubjectionem poſt ſe trahunt, ut idem Grotius *d. l.* egregiè docuit, & Principes in Imperio noſtro agnoſcunt quidem ſuperiorem Imperatorem, non tamen poteſtate, ſed dignitate: Quæ dignitás non rarò à Politicis & Hiſtoricis abuſivè ſumitur pro majeſtate. Et ſi accuratius Ducatûs & Comitatûs Germaniæ intuemur, illos hodiè aliam longè, ac olim habuere, faciem accepiſſe, nec non à naturalibus & eſſentialibus feudorum multum deflexiſſe, apparebit. Nam, Feudiſtis communiter docentibus, (1.) eſſentiale feudi eſt, ut fidem præſtet Vaſallus domino feudi, hoc eſt, ut ipſi obediat, promoveat domini incolumitatem atque commodum, nec non avertat, quod domino fortè imminet damnum. Ad quod tamen nemo libertatis Germanicæ amans Principes noſtros obligatos Imperatori temerè affirmabit: Imperatores enim omnia conſilia & actiones ſuas eò dirigunt, ut minuatur & frangatur potentia ac autoritas Majeſtatica Principum: Quas ſi promoverent Principes, ſuis ſejugulararent manibus. Hinc, quando Imperator aliquid Principibus imperat, deliberant prius in Comitiis, an ſibi

&

& Imperio conducat nec ne. Et qualis hæc eſt obedientia; Sanè cum ante paucos annos Turca, Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis, in Hungaria, aliiſque Imperatoris hæreditariis provinciis, igne & ferro horrendum graſſaretur, non niſi admodum ſerò Ipſi, enixiſſimè licet ac inſtantisſimè roganti, ſuppetias tulere. (2.) Olim feudo per mortem patris vacante, ex mera benevolentia filius patri ab Imperatore ſubrogabatur; hodiè verò filii Principum ſtatim naſcuntur cum dignitate regali, nec ſucceſſionem amplius cum feudo ab Imperatoris manu expectant, ſed ſtatim ſuo jure à morte patris, etiam ante inveſtituram, ſuccedunt & velut hæreditatem adeunt, Imperatorque ſi nolit hæredi feudali legitimo inveſtituram concedere, dominium directum amittere ſcribit Dn. Burgaldenſ. *ad Inſtrument. Pacis p. 1. Diſcurſ.* 10. §. 15. Imò hodiè (3.) ne Imperator quidem, ſi feudum caducum factum ſit, illud pro arbitrio in alium transferre poteſt; ſed per leges capitulares obligatus eſt illud Imperio retinere. In qua lege, *quod obiter noto*, & Imperatorum & Principum Imperii ratio Status vertitur. Videntes enim Principes Imperatorio toti exitioſum fieri, quòd Imperatoria dignitas in domo Auſtriaca, interrupta ſerie, tot annos fuerit continuata, non tamen eſſe quendam Principem in Imperio, qui propriis viribus coronam Imperatoriam portare poſſit, omnia feuda Imperio aperta & caduca

nulli iterum conferenda conſuerunt, quò, ſi aliquando alium quendam Principem extra domum in Auſtriacam ad ſolium illud contingat evehi, habeat, unde ſplendorem illius tueri poſſit. Hanc rationem Status Principum obſervans Imperator, nunquam, *licet jurato promiſerit*, feuda illa retinuit; ſed ſemper in alios tranſtulit: Qua ratione Principum Ratio Status non ſolùm eluditur, ſed & plurimorum favorem & amicitiam ſibi conciliat, qui ab ejus nutu in Comitiis, *tanquam ejus creaturæ*, pendere coguntur. Hinc cum anno ſeculi hujus XXVIII. Sereniſſimi Duces Mecklenburgenſes, Dominus Adolphus Fridericus & Dominus Johannes Albertus, quod Daniæ Regi, Chriſtiano IV. contra Imperatorem, Ferdinandum II. militanti adſtitiſſent, ditione pellerentur, Ducatum illum in Wallenſteinium, *Germaniæ Sejanum*, contulit Imperator. Quam ob cauſam Principes gravisſimè proteſtati ſunt (1.) quod hoc factum ſit contra leges Capitulares. (2.) quòd regulariter in Marchiones Brandeburg. Ducatus ſit transferendus, utpote quibus de ſucces ſione in feudum illud vacuum jamdudum fuerit cautum à variis Imperatoribus, Electorum conſenſu, & ab ipſo Ferdinando II. non multò antè, *anno videlicet XXII*. confirmatum. Quas juſtas Principum querelas, cùm ſurdis preteriiſſet auribus Ferdinandus, eaſdem tamen mundi Conditor exaudivit, & hos optimos Principes per immortali laude
dignum

dignum Sueciæ Regem, Guſtavum Adolphum, in avitas ditiones, anno XXXI. reſtituit. Quam reſtitutionem etiam Ferdinandus non ſolùm in Pace Pragenſi anno XXXIV. approbavit, ſed & in Inſtrumento Pacis, *art.* 12. Ferdinandus III. confirmavit. Quæ argumenta fortasſis quendam moverent, ut dicat, Principes non amplius eſſe vaſallos Imperatoris. Quòd verò inveſtitura antiquo ritu peragitur, nullum in minimo turbare poteſt. Quippe ita vulgò fieri ſolet, ut ceremoniæ ſolennes maneant, re licet planè mutata. Et inveſtituræ hodiè nullam aliam judico eſſe utilitatem, quàm ut defuncti Principis vel Comitis ſucceſſores ejuſdem petitione declarent, ſibi etiam animum eſſe in Imperio permanendi. Et juramentum, quod præſtant, non ſubjectionem, ſed veram & non ſimulatam amicitiam cum Imperatore & omnibus Imperii Principibus colendam, importat.

CAP. XIII.

De forma Imperii Germanici.

QUoniam de Imperio aliquid dicere cœpi, paucisſimis etiam, qualis ſit noſtri imperii Status *ſive forma*, videbo. Quidam Statum ejuſdem dicunt eſſe Monarchicum; qui-

quidam Monarchico-Ariſtocraticum; quidam Monarchico-Oligarchicum. Illum autem non eſſe Monarchicum hodiè tàm evidenter demonſtratum eſt, ut nemo amplius hac de re dubitare poſſit. Imò ne Ariſtocraticum quidem dici poſſe, hoc me movet Argumentum: Quòd in Ariſtocratiis de ſumma rerum deliberent, Magiſtratus fiant & conſtituant ut & judicia ordinent virtuoſi qua tales. Aſt ſecus ſe res habet in noſtro Imperio: Ita enim ad Comitia ſeu Senatum vocantur, Magiſtratus fiunt & conſtituunt, ut & judicia ordinant Principes, non quatenus ſunt virtuoſi ſed quatenus ſunt nobiles & certum quoddam in Germania ſitum poſſident territorium. Unde natum apud Germanos proverbium: Tantum quiſque in Comitiis valet, non quantum virtutis & prudentiæ, ſed quantum territorii poſſidet. Neſcio itaque an culpandus ſit, qui Statum Imperii Oligarchicum eſſe dicit. In qua ſententia deprehendo Nobil. D. Eichelium in Diſſert. de Republ. mixta theſ. 19.

Qui autem docuerit Statum Imperii eſſe Democraticum, neminem me vidiſſe fateor. Quæ doctrina tamen ſuis non careret rationibus ac argumentis; Nam omnes fatentur in ea ſocietate, in qua omnes perſonæ Majorum cenſu carentes etiam ad Senatum, Magiſtratum & judicia vocantur, Democratiam eſſe: Jam verò in noſtra Germania omnes Principes, Imperium conſtituentes, fortunæ bonis

bonis licet admodum inæquales, æquali jure ad Senatum, Magiſtratus & judicia vocantur, ut ita aliquid Status Democratici Imperio noſtro ineſſe, nemo, niſi vervecum in patria natus, negare poſſit. Et quanta ſit inter Principes Germaniæ, ratione bonorum fortunæ, differentia, nemo, niſi hoſpes in patria ſua, ignorat. Quidam enim Principes in Germania ſunt, qui territoriis & potentiis ne Regibus quidem cedunt: E contrario ſunt quidam, quorum territoria nobilium territoriis ſunt anguſtiora. Quis itaque hos Principes, reſpectu illorum, non pauperes vocabit? Et licet noviſſimè in Reichs-Abſchied zu Regenſpurg de anno 1654. §. über dieſes haben/ 2c. obnixè inculcetur: Neminem, niſi ſufficienti bonorum, ab Imperio immediatè dependentium, quantitate inſtructum, in Senatum Principum coaptandum eſſe. Sunt tamen adhuc hodiè, qui jure ſuffragii in Comitiis Imperii, *licet ſatis indigne hoc ferant reliqui Ordines*, gaudent, vix tantum, quò pedem figant, bonorum ab Imperio habentes. Accedit hodiè per Inſtrument. Pacis, Civitates Imperiales votum deciſivum in Comitiis nactas eſſe, quarum plurimæ Democratico gaudent regimine. Et hæ ſunt rationes, quibus quis pro Democratico Imperii Statu pugnare poſſet. In eo autem ipſe dubius reddor, quò minus hanc amplectar doctrinam, quòd, juxta Ariſtotelem, in Democratiis pauperes

Imperium exerceant in divites, omniaque in divitum perniciem agant: Cujus tamen contrarium videre licet in Germania, ac publico ſcripto, toti orbi literato, *idioſæ* propalavit *libertate* Cl. Dominus Textor *in eleg. Tractat. de vera Ratione Status Germanici.*

Quid itaque in tanta rationum varietate ſentiendum? Videtur ſinè dicendum, inter Principes Imperii Germanici eſſe ſaltem fœdus quoddam, illudque inæquale. Quam ſententiam ex Grotianis (*l.* 1. *de Jure Belli & Pacis capite tertio*, §. 20. & 21.) ſine dubio propriis hauſtam, priori anno in egregio ſuo de Statu Imperii libello publicè propoſuit Dominus de Monzambano. In qua & ego, cum adhuc Academiis, diſcendi gratia, inhabitarem, jam diu fui, & in diſputationibus publicis eandem ex Grotio propugnare magno allaboravi ſtudio. Mox etiam, *prout fieri amat*, partim approbatores, partim iniquos offendi Cenſores. Tandem autem, re rectiùs perpenſa, ſententiam ipſe mutavi, multis, potisſimum vero hoc argumento, motus: Quod in fœderibus nulla planè reperiatur analogia Rerumpublicarum, quam tamen Imperio noſtro ineſſe omnes fateri neceſſe habent. Eſt enim firmisſimum argumentum: Ubicunque eſt Senatus, ſunt Magiſtratus & judicia communia, ibi arctiorem ſocietatem eſſe oportet, quàm fœdus. Nam fœdera nil aliud

aliud ſunt, quàm ſocietates diverſarum Rerumpublicarum commune regimen non habentium. Atqui in Germania eſt communis Senatus, Magiſtratus & judicia communia. Ergò, Præterquam enim quòd ſinguli Principes & Status in ſuis territoriis conſtituunt peculiarem Senatum, Magiſtratus & judicia, in quæ nullus neque Imperator neque alii Principes quicquam juris ac poteſtatis habent: Conſtituunt quoque Principes ſimul ſumpti cum Imperatore communem Senatum, Magiſtratus & judicia. De quibus jam agere neque tempus neque locus patitur.

His ita præmiſsſis ignoſcat mihi B. L. ſi in hac ſabbathica controverſia à pleriſque, ſummis Viris nunc ſeceſſum fecero: quantum enim ex crebra Ariſtotelis lectione mihi conſtat, neutra de Statu Imperii Germanici ſubſiſtere poteſt opinionum. Imò ex Ariſtotele vix ac ne vix quidem de forma ſeu Statu Imperii Germanici judicare poſſe, dicendum videtur. Nam Ariſtoteles in ſua ſcientia Civili *ſeu Politica* agit de ſocietate perfectiſſima, nimirum Civitate, *Gentium enim ſocietates ſeu Imperia non ſunt perfectisſimæ ſocietatis, ut Cap. I. dixi,* nec non variis hujus formis ſeu Statibus, horumque inſtitutionibus, conſervationibus & corruptionibus: Pauciſſimis verò de Gentium ſocietate ſeu Imperio: Non quaſi hæc, ut quidam conjiceret, illum latuerit (*quid enim quæſo*

 illum

illum latere potuit, in quem ipſa natura contulit, quicquid?) ſed quia de ea tanquam imperfecta Societate peculariter diſſerere, ipſe operæ non judicarit pretium, *ut alibi à me demonſtratum eſt.* Hinc formo Syllogiſmum: in quocunque libro agitur ſaltem de formis ſeu Statibus Civitatum, ex eo non poteſt ſolidè judicari de formis Imperiorum, atqui in Politica Ariſtotelis agitur ſaltem de formis Civitatum, non verò Imperiorum. Ergò. Jam verò Principes Germanici ſimul ſumti & quatenus unum corpus conſtituunt, non conſtituunt Civitatem, ſed Gentium ſocietatem ſeu Imperium; Ergò ex Ariſtotele de forma Imperii noſtri Germanici non niſi analogicè judicari poteſt. Cum enim omne imperfectum, quo ſalvum ac incolume maneat, imitari debet perfectum: Hinc omnes Societates imperfectæ, & per conſequens Gentium Societas, quo ſubſiſtat, Civitatem, tanquam perfectiſſimam ſocietatem, imitari debet. Et cùm omnis Civitas, *communi Politicorum Schola docente*, ſalva ſit per Rempublicam harum ſimilitudines in omnibus ſocietatibus civitate vel majoribus vel minoribus dari neceſſe eſt. Et Rerumpublicarum ſimilitudines, *ſeu exempla quaſi*, etiam reperiri in ſocietatibus imperfectis & civitate minoribus ex Ariſtotele *lib. 8. Ethic. cap.* 10. omnes Politici docent. Verba Ariſtotelis ſunt hæc: *Ὁμοιώματα δ' αὐτῶν καὶ οἷον παραδείγματα λάβοι τοῖς ἂν καὶ ἐν ταῖς οἰκίαις. Cæterum*

rum Statuum horum ſimilitudines & velut exempla deprehendat aliquis in privatis quoque domibus. Si jam in his ſocietatibus reperiuntur ſimilitudines Rerumpublicarum non abſurdum etiam erit, citra expreſſum Ariſtotelis textum, ſtatuere, in Imperiis etiam reperiri non Reſpublicas, propriè ita dictas, ſed harum ſaltem ſimilitudines ſeu exempla. Rectiſſimè igitur dixit Monzambano, Imperium Germanicum ſi quidem juxta præcepta Scientiæ Civilis exigatur, eſſe irregulare quoddam corpus: Nulla enim Reipublicæ forma ſeu mixta ſeu ſimplex ipſi exactè quadrare poteſt: nam ſicut paternæ ſocietati Regius Status, conjugali ſocietati Ariſtocraticus, propriè attribui non poteſt: Ita nec Gentium ſocietati ulla quædam Reipublicæ forma propriè attribui poteſt. Quod hactenus Politici & Publiciſtæ noſtri non attendentes, fruſtrà de Statu Imperii tot verba fecerunt. An autem propterea Imperium Germanicum monſtrum quoddam Rerumpublicarum dici poſſit ac debeat, nemo non Civili prudentia inſtructus videt. Contra quod dogma Dn. de Monzambano non ita pridem laudabili inſurrexit conatu Clariſſimus Dominus Jacobus Thomaſius, in Academia Lipſienſi Profeſſor Publicus Celeberrimus, *eleganti Diſſertat. de Miniſtriſſimo, corol. ultim.* quæ omninò legi meretur.

Qualis autem tandem ſit Status Imperii Germanici paucis me explicabo. Dixi ſub

Capi-

Capitis hujus initium, in Imperio Germanico multa inſtituta Oligarchica, nec pauca inſtituta Democratica reperiri. Hæc verò quandò miſcentur, vel Statum Tyrannicum vel Politicum oriri neceſſe eſt, docente Ariſtotele *lib*, 4. *Polit. cap.* 8. & 9. Status autem in Imperio Tyrannicus planè non eſt. Ergò, Politicum Statum eum eſſe, videtur concludendum, & hunc Statum Principes primo ſtatim tempore in Imperio vigere voluiſſe. ex multis colligo. Nam (1.) ſummos Magiſtratus Imperii noſtri omnes Principes communi conſenſu conſtituerunt, (2.) Omnes Principes ſummorum Magiſtratuum erant Principes. (3.) Omnes Principes vocabantur ad Comitia. (4.) In cauſis vitam & bona Principis concernentibus omnes Principes judicabant. Quæ ſanè inſtituta omnia Politicum arguunt Statum, eaque niſi reducantur & ſanctè obſerventur, nunquam in Imperio pacem ac concordiam habebimus. Ex eo enim tempore, quo (1.) Imperator officium ſuum hæreditarium ſibi facere voluit, & reliquis Principibus, tanquam ſubditis, imperare (2.) Quidam Principes præ reliquis in conſtitutione Magiſtratuum, ut & in Comitiis, præeminentiam arrogare cœperunt, Imperium noſtrum non titubare, ſed inteſtinis motibus fluctuare cœpit. Quomodo autem hæc æqualitas ſit reducenda, hîc agere à meo inſtituto eſt alienum: De quo tamen alibi.

CAP.

CAP. XIV.

De numero Principatuum Germanicorum, eorumque forma & in iiſdem, Statuum, uti vocantur Provincialium juribus ac privilegiis.

AGgredior nunc ultimum, illudque difficultatis ac periculi plenum, Caput, ubi de Regimine Principatuum Germaniæ mihi diſſerere animus eſt. Aſt illud autem ſolidè cognoſcendum neceſſe quidem eſſet præmittere; ex qua familia ſint orti Principes, qualibus ſint inſtructi virtutibus, quomodo ad Regimen pervenerunt, qualem habeant aulam, & quorum miniſteriis utantur, & quæ ſunt ſimilia. Aſt hæc talia ſunt, ut vix ſub unius hominis notitiam cadere posſint; imò licet ea quis accuratisſimè proſpecta habeat, nunquam tamen quis tam demens erit, tamque ſalutis ſuæ ignarus & contemtor, ut eadem publici juris faciat. In genere itaque ſaltem ſtatus ſeu formas Principatuum noſtrorum delineabo, &, ſi fortasſis in uno ab altero diverſa adhibeantur inſtituta, paucisſimis notabo.

Principes in Imperio noſtro vel ſunt ſeculares. vel Eccleſiaſtici, & horum maxima in

Ger-

Germania hodiè eſt autoritas ac potentia, & ubiquè ſeculares præcedunt; nec etiam inter ipſos eſt levis momenti differentia: Quidam enim ſunt Archiepiſcopi, quidam Epiſcopi, quidam Abbates, &c. Septem autem erant olim in Imperio Archiepiſcopi (1.) Moguntinus, (2.) Trevirenſis. (3.) Colonienſis. (4.) Magdeburgenſis. (5.) Salisburgenſis. (6.) Bremenſis. (7.) Rigenſis. Et his Archiepiſcopis ſuberant alii Epiſcopi, qui vocabantur Suffraganei. Et quidam Moguntino ſuberat *Argentinenſis, Spirenſis, Wormatienſis, Herbipolenſis, Auguſtanis, Conſtantienſis, Curienſis, Eichſtadienſis, Halberſtadienſis, Hildeſienſis, Paderbornenſis, Verrenſis*, Colonienſi ſuberant *Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Mindenſis, Trajectenſis & Leodienſis* Trevirenſi ſuberant *Metenſis, Tallanus & Verodunenſis.* Magdeburgenſi ſuberant *Mersburgenſis, Naumburgenſis, Havelbergenſis & Brandeburgenſis.* Salisburgenſi ſuberant *Paſſavienſis, Friſingenſis, Tridentinus, Brixienſis. Chiemenſis, Seccovienſis, Loventinus & Viennenſis.* Bremenſi ſuberant *Lubecenſis, Razeburgenſis, Suerinenſis, Schlesvvicenſis, Caminenſis & Lebuſſienſis.* Rigenſi ſuberat *Revalienſis, Upſalienſis, &c.* Aſt circa hos, hoc & priori ſeculo, ingens contigit mutatio. Nam olim Epiſcopalis dignitatis nemo niſi Clericus, & quidem Papiſticæ ſectæ, erat particeps: Hodie autem præterquam quod Clericos & Auguſtanæ Confeſſionis Principes ad dignitatem

tem illam evehi videmus, ſubducta Imperii finibus univerſa Livonia ac Pruſſia, ſimul Archiepiſcopatus Rigenſis cum ſuffraganeis Epiſcopatibus Papæ periit. Tullenſis verò, Metenſis & Verodunenſis cum territoriis, auſpiciis Franciſci I. ad Regnum Galliæ pervenêre. Qui etiam ipſi noviſſimè in Inſtrument. Pac. Monaſt. adjudicati & confirmati ſunt. Imò licet ſuperiori ſeculo tam ante, quam per Pacificat. Paſſav. multi Epiſcopatus Proteſtantibus, Saxoni potisſimum & Brandeburg, Electoribus, ceſſerint, hodiè tamen illorum numerus auctus non ſolùm, ſed & plurimi Epiſcopatus in Ducatus merè ſeculares, *fruſtrà obloquente Papa*, transformati ſunt. Sunt autem hodiè in manibus Regum & Principum Proteſtantium ac Reformatorum ſequentes. Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, quem hodiè tenet Serenisſimus Dominus Auguſtus, moderni Serenisſimi Electoris Saxonici frater ſenior; eoque naturæ debitum perſolvente, Potentisſimus Elector Bradeburg. vi Inſtrument. Pac. *articul.* 11. eundem accipiet. In cujus poteſtatem ante biennium ferme venit ipſa urbs Magdeburgum, quæ ante libertatem ridicule ex perditis Imperat. privilegiis jactitabat. Eidem Domino Electori Epiſcopatus Halberſtadienſis, Mindenſis, Caminenſis, ſub Ducatus titulo, in perpetua & immediata feuda, traditi ſunt. Havelbergenſem & Brandeburgenſem Epiſcopatus, quos ſuperiori ſeculo patrimonio

ſuo

ſuo adjecit hodiernum poſſidet. Nec parum, ſuperiori ſeculo, pulſis Catholicis, Epiſcopatibus Mersburgenſi, Naumburgenſi, Miſnenſi, &c. ſuas ditiones auxit Dominus Electoralis Saxonica, cui Deus quietam largiatur poſſeſſionem Schleſvvicenſis quoque Epiſcopatus, poſtquam pars Danici Regni facta, Proteſtantium amplexus eſt doctrinam. Cui ſecutus quoque Epiſcopatus Lubecenſis. In nupero autem Inſtrumento Pacis *articulato.* Archiepiſcopatus Bremenſis Coronæ Sueciæ pro ſatisfactione, ſub titulo Ducatus, ceſſus eſt: Salva tamen Civitatis libertate: Quæ cum Suecis ſuſpecta aut invidioſa extaret, eandem Anno 1666. tam duris conſtrinxerunt conditionibus, ut meritò unum pedem in cymba Charontis habere videatur. Ejuſdem quoque Coronæ Epiſcopatus Verdenſis præda factus eſt: quæ ipſi confirmata in nuperrima Weſtphaliæ pace. d. l. Ob amiſſam autem Civitatem portumque Wiſmarienſem Ducibus Mecklenburg. Epiſcopatus Suerinenſis & Razeburgenſis datus eſt. Epiſcopatu verò Oſnabrugenſi, Anno 1634. Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ, *filium ſuum naturalem*, Guſtavum Guſtavi, inveſtivit; Sed is eundem, acceptis 80000. thaleris Imperialibus iterum Anno 1652. abdicavit, & nunc in eo alternativa ſucceſſio inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſsionis Epiſcopos, ex familia tamen Ducum Brunſvicenſ. & Lunæburgenſ. poſtulandos obtinet. Præeſt

hodiè

hodiè dicto Epiſcopatui Reverendiſſimus & Sereniſſimus Princeps Dominus Erneſtus Auguſtus, Princeps in omnium virtutum exemplar genitus. Nec dubitavit mihi narrare Vir magnus & rerum inferioris Saxoniæ peritiſſimus, quin & Oſnabrugenſem & Hildeſienſem Epiſcopatum Domus Brunſvic. & Lunæburg. ſibi hæreditario jure facere potuiſſet, modò unius hominis peccatum Politicum non interveniſſet. Sed manum de tabula.

Nil dicam jam de Ordine Teutonico Dn. Johannis, Abbatiis, Monaſteriis &c. quorum bona plurima ad ſeculares uſus hodiè impenduntur. In Inſtrument. Pac. *art.* 11. Dn. Electori Brandeburg. omnia D. Johannis Ordinem Equeſtrem ſpectantia bona, ad quæ etiam Comitatus Vierraden. ſpectat, extra territoria Sueciæ conceſſa reſtituuntur. Porrò D. Johannis Commendæ Mirovv & Nemerovv, in Ducatu Mecklenburgenſi ſitæ conceſſæ ſunt Ducibus Mecklenb. *in art.* 12. Et duæ illæ Commendaturæ Ordinis Teutonici, Supplenburg. & Luclumenſ. in Ducatu Brunſvicenſi ſitæ, merum ſapiunt ſeculum. Et Abbatia Hersfeldenſis Landgravio Haſſiæ Caſſellano Abbatia, Mariæthalenſis, Walckenridiana Königs Lutherana, *ubi Dn. Georg. Calixtus, Theologus immortali laude dignus, Abbas cum viveret, cluit*, Rittershuſana, Brunſvicenſibus & Lunæburgenſibus Ducibus accreverunt, aliis alia quæ hîc recenſere

non

non opus eſt. Et hoc modo, hoc & ſuperiori ſeculo, Catholici cum Proteſtantibus Epiſcopatus ſuos dividere coacti ſunt. Dent modò illi operam, ne hi ſubdiviſionem inſtituere incitentur: Vereor enim, ne tunc Papæ corona & Monachis venter ſubtrahatur.

Juſtè autem, an injuſtè, Epiſcopatus hi, Abbatiæ & Monaſteria &c. à Proteſtantibus & Secularibus poſſideantur, olim graviſſima erat controverſia, quæ tamen deciſa eſt in nupero Inſtrument. Pacis. Id quod tam malè habuit Papam Romanum Innocentium X. ut per nuncium ſuum, Fabium Chiſium, *poſtea etiam Papam factum*, ſolenniter proteſtatus ſit; ſed irrito planè conatu, ut videre eſt ex Dn. Conring. *Exam. Bullæ Innocentii X.* Sunt tamen inter noſtrates etiam, qui nondum concoquere poſſunt, quod nonnulli Principum hujuſmodi bona menſis & epulis addixerunt, daß Geiſtliche Güter non bona Metamorphoſi können in Taffel-Güter verändert werden. Id quidem Hippol. à lapide, ſed infirmo & debili, *ex loco Parium deſumto*, argumento defendere nititur: Ipſos ſcilicet Pontificios Epiſcopos multa Monaſteria Epiſcopali addixiſſe menſæ: Non eſſe ergò, quod Proteſtantibus hac in re objiciant. Et Autor Informationis der vier Clöſter ſache ita ſcribit: Wenn alle die jenigen Augſpurg. Confeſſion, ſo dergleichen Güter eingezogen / umb deß willen geſteiniget werden

ſolten/

ſolten / könten unter den Geiſtlichen Ertz- und Biſchoffen wohl keiner / oder ſehr wenig den erſten Stein auffzuheben mit gutem Gewiſſen und ohn Gefahr gleicher condemnation unternehmen. Sed mitto hanc controverſiam, utpote jam publicis deciſam legibus. Man laſſe es ein mahl hierbey bewenden: Bißher hat man gnug umb den Rock Chriſti gezanckt. Man bekümmere ſich nun hinführ mehr umb deſſen Leichnam.

Nunc de Principibus Germaniæ ſecularibus, qui dividuntur in Archiduces, Duces, Comites Palatinos, Marcgravios, Landgravios, Burggravios, Principes ſimpliciter ita dictos, & Comites Principalis dignitatis, Gefürſtete Grafen. Archiducalem domum in Germania ſaltem unam habemus, Auſtriacam videlicet, eamque potentiſſimam inter omnes Germaniæ Principes, ex qua, per aliquot ſecula, interrupta ſerie, Imperatores nobis dati ſunt. Et hujus domus fundator fuit Rudolphus, Comes Habſpurgenſis, modicarum opum dominus, ſed bello ſtrenuus. Is cum aliquo Wernerum Moguntinum, Romam euntem, ab Argentina ad Alpes deduxiſſet, inſignem ejus civilem & militarem prudentiam cognovit, itaque cum Electores de creando Imperatore cogitarent, hunc Rudolphum tam à ſapientia quàm à fortitudine magnoperè commendavit, moxque in ſen-

ſententiam Trevirenſem & Colonienſem Archiepiſcopos pertraxit. *Hujus conſilii rationem vide ap. Dn. de Monzambano c. 2. §. 3.* Quibus etiam aſſenſi ſunt reliqui ſeculares Principes. Hic plurium non ſolum amicitia & affinitate *filiabus ſuis parta*, ſed & Auſtria, Stiria, Carniola, Venedorum Marchia & aliis Imperio apertis feudis acceptis, potens præ reliquis factus, etiam aliquid eximii tituli ſibi ſumere voluit; & inde oriri Archiduces. Accepto autem titulo præ reliquis Ducibus in Comitiis honorari voluit. Ut autem hi præ reliquis antiquis Ducibus priorem in Comitiis locum occuparent, invidioſum nimis erat, neque tamen illis cedere placebat. Igitur ſibi primum locum inter Principes Eccleſiaſticas, *qui ſeparato à Principibus ſecularibus ſcamno ſedent*, cepere. Hi enim cum ex inferiori ut plurimum proſapia ad principale faſtigium aſcendant, non ægrè ipſis primum conceſſuri erant locum. Quanquam iſta virtus illis non ſine præmio fuit: Nam eo modo in Senatu Principum directorium, quod vocant, alternis vicibus cum Archi-Epiſcopo Salisburgenſi exercendum obtinuere. Add. Monzamban. d. l. Spectat quoque hodiè *paulò minus quàm* hæreditario jure ad domum Auſtriacam Regnum Hungariæ, quod licet maximam partem in Turcarum manus venerit, magnum tamen adhuc Archi-Ducibus præbet commodum. Iidem Archi-Duces Regnum Bohemicum quoque nunc

nunc ſibi planè fecerunt hæreditarium. Ex quo ingentes opes colligere poſſent, ni Clero tam amplos & nitidos nidos ibi extruere permiſiſſent. Sanè domus Auſtriaca hodiernum tam potens eſt, ut nunquam non ſe à corpore Imperii ſeparare, & peculiarem Rempublicam condere poſſit. Et privilegia, quæ à Carolo V. accepit, ita ſunt comparata, ut dubitare liceat, an membrum quoddam Imperii adhuc ſit nec ne. Nam Dux Auſtriæ non tenetur inveſtituram petere, extra ſuas ditiones. Poteſt in Comitiis comparere ſi velit, ſi nolit, non tenetur. Quæ in ſua geſſerit ditione, Imperatori corrigere non licet. Et ut uno verbo dicam: In favorabilibus eſt membrum Imperii, in odioſis non item. Hodiè caput & cauda hujus potentisſimæ domus eſt Serenisſimus Dominus Leopoldus, qui etiam hodiè Imperator cluit. Eſt Princeps 27. annorum: Natus enim eſt Anno 1640. Patre Ferdinando III. Imperatore, & in ſuperſtitionibus Papiſticis ſummo educatus ſtudio. Phyſiognomiæ ſtudioſi, ex labiorum prœminentia *ſigno Auſtriacæ domus gentilitio*, colligunt, ipſum eſſe hominem placidi & minus turbulenti ingenii. Et tamen reverà eſſe multos teſtatos audivi: Eumq; eſſe placidum præſenti rerum ſtatu contentum, aliena non affectantē, regimen ipſius ſatis indicat. Miniſtria. ipſius ſunt turbulentiſſimi ingenii, & nullus plus in aula Imp. valet, quam Jeſuitæ, & inter eos quidam, *cujus nomen mihi memoria excidit*;

Gene-

Generalis ſtudiorum præfectus in Academia Vienneſi. Hic autor Leopoldo noſtro fuit, ut omnes alios Clericorum ordines aulâ exire juberet, ſolos retineret Jeſuitas. Animus fuit Leopoldo noſtro in Confeſſ. adſciſcere Capucinum quendam, ſed hic acriter reſtitit, atque Jeſuitam, *Rationis Status Pontificiæ callentiſſimum*, obtruſit. E civilibus perſonis, quæ præſtò ſunt, plurimi reperiuntur Itali, noviter ab Imperatore Principes & Comites creati: Hi in quantum ſuum intereſſe reſpiciunt, in tantum Imperatoris negligunt. Rariſſimè audimus, Germaniæ Principem in aula Imperatoria commorari. Ratio eſt in promptu, quam propalare tamen fas non eſt. In hac aula nihil eſt ſecreti, quod horis pomeridianis in arcano conſilio fuit concluſum, pomeridianis, tota urbe circumfertur. Hinc, quæ conſiliorum ratio, ita eorundem non poteſt non eſſe eventus. Ad hanc aulam cognoſcendam, non parum conducit, legere Autorem, qui Ferdinandi II. Aulam nobis eleganter depictam reliquit. ante biennium Imperator ſibi Matrimonio junxit Margaretham Thereſiam Philippi IV. Regis Hiſpaniæ filiam ſecundò genitam, ex qua ipſi præterito anno natus filius, qui vix trimeſtris parentibus ſuis, & toti Germaniæ, mœſtiſſimus, ultimum Vale dixit: An Burgii autoritate, Rechbergii taciturnitate & Potii garrulitate, ego cum Don Julio Perotto, ut ſe vocat Barnabitta ad S. Michaël-Viennæ, non diſputa-

bo

bo. Ut a. Leopoldo fœcundum prole maſculi contingat matrimonium, omnes Germanos non ſolùm ex animo optare, ſed & indeſinenter Deum fatigare precibus neceſſe habent, cum non vanus profectò metus ſit, ne tam glorioſæ ſtirpis ultimus ſumtuoſis nimis certaminibus ſepulcralibus ſibi parentari poſtulet.

Ducum olim erat magnus numerus, qui hodiè inſigniter imminutus non ſolùm, ſed & mutatus fuit. Olim enim celebres erant Duces Sueviæ, Stiriæ, Cariuthiæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium; ſed horum familiæ planè extinctæ, eorumque ditiones cognatis ac vicinis Principibus ceſſerunt. Superſtes autem hodiernum eſt Ducum Saxoniæ familia, quæ bona ſua in meditullio ferè Germaniæ poſſidet. Huic familiæ bona Landgraviorum Thuringiæ & Maggraviorum Miſniæ jam olim acceſſerunt. Nec non in Franconia Ducatus Coburgicus, & Comitatus Hennebergicus. Et nupero bello tricennali ſuperior & inferior Luſatia. Horum Ducum terræ ubique agris, vineis, pecoribus varii generis, & alibi metallis fœcundiſſimæ ſunt, nihilque quod ad αὐτάρκειαν pertinet, his deeſt terris. Dividitur hæc Domus in duas lineas, Albertinam & Erneſtinam. Ex illa fuit potentiſſimus Elector, rerum geſtarum magnitudine valdè celebris Dn. Johan. Georg. I. qui quatuor reliquit filios, Johan. Georg. II. Dn. Auguſtum, Dn. Chriſtianum & Dn. Mauritium. Et cum

Anno 1658. diem ſuum laudatus modò Dn. Parens obiret ſupremum, ipſi in Electoratu primogenitus ſucceſſit filius, Princeps & concordiæ Civilis & exterarum nationum amantiſſimus, qui aulam ſuam magnificam alit Dreſdæ, urbe tam ædificiorum elegantia, quam ſitus amœnitate ac terræ frugalitate clara. Miniſtrantur ipſi multi Illuſtres & prudentiſſimi, ac inter eos Illuſtres ac Generoſi Domini Carolus & Henricus à Friſen, Liberi Barones, ut & Dn. à Luttichau, Eques Miſnicus, Cancellarius, nec non rerum Civilium peritiſſimus. Eques Dn. à Burckersroth / ad Regem Galliæ nunc Legatus. Natus eſt huic Sereniſſimo Principi præter filiam unicus filius Johan. Georgius III. qui ante annum, & quod excurrit, potentisſimi Regis Daniæ Friderici III. filiam duxit. Quibus fœcundisſimum ex animo precamur matrimonium.

Alter filius Dn. Auguſtus, in Pace Pragenſi Adminiſtrator Magdeburg. poſtulatus, eique Archiepiſcopatus ad dies vitæ adjudicatus fuit. Reſidet ille nunc Hallæ Saxon, urbe re ſalinaria potisſimum celebri, & in aula ſua plures habet Miniſtros, Civilis prudentiæ laude ubique claros, è quibus primo loco poni meretur Illuſtris Dn. Georg. Dietrich à Rondeck, Conſiliarius intimus & Præſes. Nec non Dn. D. Krull. ad Comitia Legatus. Accepit hic Princeps ex Conjuge ſua, Ducisſa Mecklenburgenſi, prolem utriuſ-

utriuſque ſexus numeroſam ac heroicis virtutibus eminentem. Et quamvis Halla poſt mortem ſuam, *quam tanto Principi ſeram precor*, Dn. Electori Brandeburg. vi Inſtrument. Pac. reſtituenda, magnificis ſumtibus Weiſſenfelſæ, *Civitate circa Salam amœna & frugifera*, in monte lapideo, arcem, *bono poſteritatis ſuæ*, ædificat, qua ſibi immortalem ſine dubio parabit laudem.

Tertius filius eſt Dn. Chriſtianus, virtutibus ac prudentia priori non diſſimilis. Habet aulam Mersburgi, urbe antiqua ſed variis *fortuitis animalitioſis incertum* incendiis valdè deformata, & inter varios egregios Miniſtros inprimis laudari meretur Dn. Johan. Chriſtoph. Wexius, Cancellarius & Conſiliarius intimus. Hic modò laudatus Princeps cum fratre ſuo natu, *nequaquam tamen prudentia & virtutibus*, minimo, Sereniſſimo Domino Mauritio, duas duxere ſorores ex Domo Holſatica: Ille Chriſtianam, *quæ ipſum hactenus etiam multorum illuſtrium liberorum parentem fecit;* hic Sophiam Hedwig, nuptiaſque ſolenni pompa Dreſdæ Anno 1650. celebrarunt. Sed hac mortua, ex Domo Vinarienſi alteram duxit, ſedemque poſuit Cizæ, ubi nitidiſſimam arcem Principali magnificentia extruit. Poſt obitum Cancellarii Dn. D. *Menii*, in ejus locum ex aula Saxo-Gothana ſurrogavit Illuſtrem illum Franc. Equitem, Dn. Vitum Ludovicum

vicum a Seckendorff. Virum omni laude majorem.

Nunc de linea Erneſtina, quæ in Altenburgenſem & Vinarienſem dividitur. Altenburgi imperat Sereniſſimus Dn. Fridericus Wilhelmus, Princeps nulli ex tota florentiſſima Domo Saxon. virtutibus ſecundus. Eſt Princeps ætate ingraveſcens, & non ita pridem in luctuoſam viduitatem conjectus eſt obitu Conjugis ſuæ Magdalenæ Sibyllæ, Stirpis Elector. Saxon, Principis virilium virtutum, cui præter virile corpus, nihil deerat. Hæc illi duos peperit filios, & unam filiam, inter quos primogenitus, Dn. Chriſtianus in ætatis vere morti præda factus. Quam ſolers in hoc B. Principe fuerit ingenium, ac inexpugnabilis induſtria, teſtantur tot ac tot egregia ſpecimina, quæ in ſuæ efflorеſcentis ætatis ſtadio, cum ſtupore Illuſtriſſimæ aulæ, edidit. Præterquam enim, quod vix decennis Gallicè abſque hæſitatione locutus, eundem in tenera illa ætate, *cum Anno* 1661. *Coburgum tranſirem*, in Gymnaſio ibidem ad orationem Gratulatoriam concinnis & elegantibus Latinis verbis Reſponſoriam habuiſſe, memini. In ſolatium tamen Sereniſſimi Parentis & totius Principatus ſupereſt alter filius, Dn. Fridericus Wilhelmus, qui, ut audio, B. ſui fratris immortali laude digna veſtigia calcare non detrectat. Magna huic Principi in aula ſua eſt doctiſſimorum virorum copia, interque eos minimè tacendus Dn. D. Tho-

mæ, quondam ad Comitia Legatus ſplendidiſſimus, nunc, poſt obitum Generoſi Dn. Wolff. à Thumbshirn/ Cancellarius magnificus; nec non Generoſus Dn. à Corbitz. à Cameræ Conſil. In Ducatu Coburgico habet Dn. D. Auguſt. Carpzovium, quondam ad tractatus Pacis Oſnabrug. ut & Comitia Ratisbon. Legatum meritiſſimum, nunc ibidem Cancellarium, Virum ad invidiam uſq; pium atque prudentem. Nec laude ſua privandi Dn. ab Erffa/Dn. D. Hanwacker & Dn. D. Hônn, ejuſdem Principis Conſiliarii dexterrimi.

In linea Vinarienſi noſtro tempore celebres habemus Dn. Wilhelmum, & Erneſtum, *de Bernhardo, Germanici Camillo, aliiſque ſine prole mortuis, nunc non dicam*, qui ob variarum heroicarum virtutum, & inter eas Pietatis potiſſimum laudem, à doctis nunc cognomento Pius audit. Aulam ſuam habet Gothæ, ubi valentiſſimum illud caſtellum Grimmenſtein/ mandato Cæſareo ſuperioris ſeculi Anno 67. expugnatum & incredibili ſumtu funditus deſtructum, reædificat, illudque, mutato nomine odioſo, Friedenſtein appellat. Nec Conjux ejus Sereniſſima Eliſabetha Sophia infauſtam Lucinam habuit: Beavit enim ipſum pluribus, tanto Patre minimè indignis filiis, inter quos nunc ſenior Illuſtrisſimus Dn. Fridericus Galliam perluſtrare cœpit: Alii duo Dn. Albertus & Dn. Bernhardus in Illuſtri Tubingenſium Collegio tàm fervidè literarum ſtudia tra-

ſtant, ut nemo non in ipſorum rapiatur admirationem. Paucos hic Principes amat Miniſtros, ſed omnes doctrina claros & labore indefeſſos. Habet Cancellarium Dn. Erneſt. Ludovic. Avemannum, quondam etiam ad Comitia Legatum ſplendiſſimum, ut & Dn. Johan. Jacob. Avianum, Conſiliarium Juſt. & Conſiſtorial. Viros, quos ob inſignem prudentiam fama jam diu cecinit. Mortuo autem Domino Wilhelmo, Principe armis & literis claro, ipſi ſucceſſere 4. filii ejus heroicarum virtutum æmuli ſtrenuiſſimi, videlicet Dominus Jacobus Erneſtus, Dominus Adolphus Wilhelmus, qui Suecis in Dania militavit Dominus Joh. Georgius, qui Brandenburgica caſtra in Pruſſia ſecutus & Dominus Bernhardus II. inter quos primus ſede paterna fruitur Vinariæ, alter Iſennaci, tertius Marzſulæ, & ultimus Jenæ ſibi ſedes poſuere. Et, in quantum mihi conſtat, hi Principes communem retinuere Cancellariam, cui hodie præeſt Dn. P. Krauß / Vir Juris Conſultiſſimus; Et præterito anno Jena ad ſe traxere Celeberrimum Dn. Georg. Adam. Struvium, qui illis eſt à Conſiliis Cameræ.

Antiquiſſimi ex domo Saxon. Principes ſunt Duces Lauenburgici, quorum unus ſaltem, ni fallor, hodiè ſupereſt, Dominus Julius Franciſcus, qui aulam Schlockowerdæ in Bohemia habet, & acriter Papiſticæ ſectæ adhæret. Hujus majoribus ante aliquot ſecula dignitas Electoralis Saxonic. competit; Sed

Sigiſ-

Sigiſmundo imperante ipſis erepta eſt: Quod ipſos tàm malè habuit, ut quamdiu Comitiis abſtinuerint: Anno tamen 1570. priſtino jure ibidem uti cœperunt. Hoc dedecus Schlackewerdenſis videtur non poſſe oblivioni tradere: Is enim ante paucos annos inſignia Electoralia curribus ſuis & tabellariis affigere conatus eſt: Aſt quomodo fuerit exceptus in terris Electoralibus Saxon. recenſere fas non eſt. Nec Erneſtinæ lineæ poſteri æquo ferre videntur animo, quod Glor. mem. Principi Dn. Johan. Friderico hæc dignitas erepta & in Mauritium, *Germaniæ Alexandrum* collata. Imò inter ipſos Erneſtinæ lineæ Principes aliquot controverſiæ, *Publiciſtis benè notæ*, fuerunt ortæ. Quæ ſatis indicant, nil magis in hac florentiſſima domo deſiderari, quàm diſcordiæ ac diffidentiæ exilium.

Ducum Bavariæ quoque antiqua eſt familia, cui, Imperatoris Ferdinandi II. beneficio, per Maximilianum I. dignitas Electoralis, in bannum declarato Frideric. V. Palatino, acquiſita eſt. Reſtiterunt quidem vehementer Palatinus & reliqui Auguſtanæ Confeſſionis Ordines, ſed tandem Imp. & Bavarus obtinuere. Quomodo autem Palatino fuerit ſatisfactum, infrà dicam. Modernus Elector eſt Dominus Ferdinandus Maria, venuſtisſimi quidem, ſed, ut mite loquar, maxime tranquilli ac ſedati animi Princeps. Accepit Conjugem Anno 1652 Adelheidem, Victoris

Amadei Sabaudiæ Ducis, filiam, corpore venuſtam, animo viro quam mulieri ſimiliorem. Genuit ipſi filiam Anno 1660. & filium, Maximilianum Mariam Anno 1662. Aula ejus magnifica conſpicitur Monachii, urbe tam eleganti, ut præter Eſcuriale Marditum, vix Europa elegantiorem habeat. Habet Cancellar. Dn. Johan. Georg. Oexel. qui ubique Principis ſui Intereſſe tàm pertinaciter tractat, ut, cum Francofurti Anno 1658. Dn. Electori Palatino de Vicariatu controverſiam moveret, Palatinus, juſto incandeſcens dolore, ipſum atramentario petierit. Hic Elector, præterquam quod olim poſſedit circa Danubium fertisſimam terram, integrum etiam Palatinatum ſuperiorem, cognato ereptum, nunc, vi Inſtrument. Pacis, accepit, & ingentem pecuniæ cumulum ex cereviſiæ & ſalis, &c. monopoliis colligit.

Potentiſſima hodienum eſt Ducalis Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Domus, & latè patentem in inferiori Saxonia ditionem posſidet, licet ubique non adeò frugiferam; commerciis tamen valdè aptam, ut illos defectus facilè aliunde importando ſupplere posſint. Horum originem, quæ ſine dubio antiquisſima eſt, nunc deducere non vacat, præſentem ejus jam intuebimur ſeriem. Dividuntur hodiè in duas lineas, ad quarum unam Ducatus Brunſvicenſis, ad alteram Ducatus Lunæburgenſis pertinet. Brunſvicenſi

cenſi Ducatui hodiè præeſt Sereniſſimus Dn. Rudolphus Auguſtus, Princeps in ſpem & ſolatium ſeculi noſtri natus, qui ante annum, & quod excurrit. Patri ſuo D. Auguſto, *Bibliothecæ per totam Germaniam famigeratiſſimæ Conditori magnifico*, jure primogenituræ ſucceſſit. Duxit Illuſtrem Comitiſſam de Barby, quæ ipſum tamen prole maſcula nondum beavit. Aulam ſuam habet Guelphei byti, oppido munitiſſimo, & non niſi milliari à Brunſvigo diſtante. Habet hodiè Cancellarium Magnif. Dn. H. Höpfner. JCtum egregium, ut & Conſiliarium intimum Dn. D. Johan. Eichelium, juris ſcientia & prudentia ubique Clarum, in Academia Julia Pandect. Prof. Ducatui Lunæburg. hodiè duo præſunt Dn. Georg. Wilhelmus & Dn. Johan. Frider. *Catholicam fidem amplexus*, magnificentia animique generoſitate exteris etiam amabiles. Hi Sereniſſimi Principes, fratre Dn. Chriſtiano Ludovico, Anno 1665. mortuo, de ſucceſſione convenire non poterant. Dn. Johan. Fridericus ætate Dn. Georg. Wilhelmo minor, fratri morienti præſens, ſtatim poſſeſſionem arcis & Civitatis Cellenſis occupavit: Eandem autem ſucceſſionem ex libertate & jure optionis Dn. Georg. Wilhelm. ſibi deberi publicis deduxit ſcriptis. Hannoveranum Ducatum Dn. Johan. Frider. reſtituturus. Marte ſine dubio fuiſſet diremta hæc controverſia, ni Reges Galliæ & Succiæ ſe

interpoſuiſſent. Atque ita Hildeſiæ Anno 1666. tranſactum, ut hi duo Ducatus fructibus inæquales, alteri detrahendo & huic addendo æquales reddantur, Dominus Georgius Wilhelmus Ducatum Cellenſem, Dominus Johannes Fridericus Ducatum Hannoveranum. accipiat. Dn. Georg. Wilhelmo à conſiliis eſt Generoſus Dominus Otto de Mauderoda, qui durante nupero bello Turcico dignitatem eines Reichs Kriegs-Raths adeptus eſt, ut & Dn. D. Heimann JCtus & Cancellarius. In Civilibus verò & Politicis negotiis Domino Johanni Friderico adſiſtunt Dominus Henricus Langenbeck JCtus Cancellarius, ut & Dn. D. Witte, ad Comitia nunc Legatus: Omnes omni laudis genere cumulatiſsimi Viri. Hi duo Principes extra matrimonium hactenus vixere, anne verò ejuſdem vinculo ſeſe ſint ligaturi, me latet.

Ducatus Wûrtenbergicus quoque partim jure belli, partim matrimoniorum vinculo, ut & Imperatorum beneficio ita auctus ut Wûrtenbergiæ Duces hodiè inter potentisſimos Germaniæ Principes meritò numerentur. Martem hoc ſeculo adverſum ſemper habuere, & ſæpisſimè triſtisſimis oculis Ducatum ſuum à tergo reſpicere coacti ſunt. Anno enim 1634. poſt fatale prælium Nerolingenſe Ducatus Wûrtenbergicus à Cæſareis occupatus, Paceque Pragenſi Sereniſsimus Dux Dominus Eberhardus, qui hodienum

in gloriam Germaniæ ſupereſt, ab Amneſtia eſt excluſus. Cum igitur Argentinæ in exilio viveret, cum Cæſare agi cœptum, iſque Anno 1638. magnæ ditionum parti reſtitutus, donec pax Weſtphaliæ ſecuta, ubi omnia bona Duci reſtituta ſunt, præprimis Eccleſiaſtica, quæ iterum debitis dicata ſunt uſibus. Relatum mihi eſt nullibi in Germania tàm benè eadem impendi ac in Ducatu Würtenbergico. Dividitur hæc domus in duas lineas, Stutgardianam & Mompelgardenſem. Lineæ Stutgardianæ Dominus imperans hodiè eſt modò laudatus Dominus Eberhardus, cujus Cancellarius hodiè eſt Dn. D. Nicolaus Mylerus ab Ehrenbah. elegantibus ſcriptis valdè celebris. Lineæ Mompelgardenſi præeſt hodiè Dominus Georgius, Princeps egregiè literatus & literarum egregius Mœcenas. Cui à conſiliis fuit Dn. Chriſtophorus Forſtnerus, à me hoc in opuſculo multoties laudatus. Quis autem nunc ibidem ſit Cancellarius, hactenus comperire non potui.

Duces Mecklenburgenſes commerciis aptiſſimam poſſident ditionem, quæ tamen hodiè valdè deformata eſt. Nam cum Anno 1625. glorioſæ memoriæ Rex Daniæ Dominus Chriſtianus IV. exercitum contra Imperatorem duceret, ei adſtitere Duces Mecklenburgenſes: Quibus cum belli alea infeliciter cecidiſſet, horum ditiones in Wallenſtejnium tranſlata, ut ſupra *Cap.* 12.

G 6 dixi;

dixi; ſed eoſdem Rex Sueciæ Anno 1631. magno omnium applauſu atque gaudio, iterum poſtliminiò in Ducale reduxit territorium. Cum autem tandem Imperator & Principes Germanici de pace cogitarent, Sueci inter alia pro ſatisfactione etiam Civitatem & portum Wiſmarienſem, totius Ducatus nobilisſimam, commerciis maritimis & terreſtribus percelebrem poſtularunt Civitatem. Quo audito Suecorum amicitia admodum inclementer pasſim in Germania non traducta ſolùm eſt, ſed & Legatus Mecklenburgenſis Oſnabruga iratus abiit, nec precibus aliorum reduci potuit. Ducibus tamen nolentibus volentibus, eadem Suecis in Inſtrum Pac. Oſnabrug. *articul.* 10 [illegible]djudicata eſt. In compenſationem verò accepere Epiſcopatum Suerinenſem & Razeburgenſem, aliaque bona Eccleſiaſtica, de quibus ſuprà. Dividitur hæc linea in Guſtrovienſem & Suerinenſem. Guſtrovi hodiè rerum potitur Serenisſimus Dn. Guſtavius Adolphus, Princeps à pietate & literis valdè commendatus. Suerinenſis verò Dux hodiernus eſt Dn. Chriſtianus, qui, conjuge ſua repudiata, in Galliam abiit, ibique conſcientiæ ſuæ Pontificia religione conſulere voluit; & deinde, Papa diſpenſante, duxit Duciſſam de Chaſtillon. Quæ tamen cum ipſo in Germaniam abire noluit.

[NB.

[NB. Vid. addend. pag.]

Nunc de Comitibus Palatinis Rheni, qui antiquitate familiæ nemini cedunt. Huic familiæ etiam annexa eſt dignitas Electoralis, quam Fridericus V. Palatinus perdidit, *ut ſuprà dixi.* Omnibus quidem viribus laborarunt Principes Proteſtantes, ut hic cum dignitate in ſuas reſtitueretur ditiones; Aſt Imperator, tunc exercitu valens & victoriis tumidus, omnes adſpernatus eſt interceſſiones. Denique, cum Pax etiam Weſtphalica eſſet concludenda. Sueci hujus reſtitutionem acerrimè urſerunt. Bavarus dignitate ſemel parta cedere nolebat, nec niſi difficulter Principes adigi potuerunt, ut octavum Electorem crearent *An quod numero ſeptenario ſuperſtitioſe aliquid ſacri ineſſe crediderint, an quòd aliud quoddam arcanum ſubfuerit, nunc non diſputabo.* Quoniam verò Germanicæ tranquillitati aliter conſuli non potuit, tandem Sereniſſimus Dominus Carolus Ludovicus, Friderici V. filius, in Electorum numerum iterum cooptatus, ipſique titulus Architheſaurarii attributus eſt: Ea conditione, ut extincta linea Wilhelmi, *ex qua eſt Elector Bavaricus*: expuncto octavo Electoratu, Palatinus in priſtinum locum, dignitatem & jura, quibus Bavarus hodiè fruitur, poſtliminio quaſi iterum ſit reducendus. Reſidentiam ſuam habet Heidelbergæ, urbe pervetuſta

loco,

loco amœno ac valdè frugifero ſita. Hic tota Europa decantatiſſima fuit Bibliotheca, quam quidam Vaticanæ prætulerunt: Sed belli injuria diſtracta, perdita & corrupta eſt. Modò laudatus noſter Elector eſt Princeps in omni ſcibili verſatiſſimus: & terras ſuas dilaceratas ac devaſtatas tàm prudenter regit, ut reliquis meritò exemplar eſſe poſſit. Non videt per oculos Miniſtrorum, in publicis tamen & magni momenti negotiis, conſiliis utitur multorum Virorum, virtutum ac reconditæ eruditionis laude excellentium, Dn. Bœkelmanni Dn. D. Peilii, & Generoſi Domini à Seckendorff. aliorumque. In uxorem duxit hic ſapientiſſimus Princeps Charlottam, Wilhelmi Haſsiæ Caſſel, Landgravii filiam, ex qua Anno 1651. ipſi natus Carolus, quem non Electoralis ſolùm dignitatis, ſed & paternarum virtutum ex aſſe hæredem eſſe audio. Illa autem, vivo Domino Electore Caſſellis vidua nunc vivit. Cauſam privato detegere non licet.

Præter Electorem Palatinum alii dantur Palatini, inter quos primo loco Neoburgicus eſt numerandus, Dn. Philippus Wilhelmus, qui, *teſte Monzambano*, inter prudentisſimos Germaniæ Principes referri meretur, cui nonnulli Coronam Polonicam augurantur, non tàm quòd familiæ Regiæ in Polonia per affinitatem ſit annexus, quàm quia dignisſimus habetur. Hic Princeps etiam ſat potens eſt, & præter terras amplas ad Danubium

nubium, Ducatum Juliæ & Montium jam tenet, propter quos ſuo patri Domino Wolffgango Wilhelmo cum Electore Brandenburgico, Johanne Sigiſmundo, magnæ fuere controverſiæ, quæ ſine dubio bello non Bohemico ſolùm, & Germanico tricennali cauſam præbuere, ſed & eundem, ut, relicta Auguſtana Confesſione, ad Pontificiorum caſtra tranſierit, promovere. Utitur hic Princeps Cancellario Dn. Caſparo Manzio, JCto doctisſimo & ſcriptis valdè celebri. Reliqui omnes, Sulzbacenſes videlicet, Simmerenſis, Bipontinus, Birckenfeldenſis & Lauteracenſis, modicarum ditionum domini ſunt. De Bipontinis notari ſolùm meretur, quod dederint Sueciæ Regem Potentisſimum ac fortisſimum Dominum Carolum Guſtavum, *alterum Sueciæ Alexandrum*, quem fata nobis nimis citò eripuerunt.

Tranſeo nunc ad Marchiones, quorum quatuor quidem reperiuntur genera, Brandenburgenſis, Miſnenſis, Badenſis, & Moraviæ, inter quos tamen ſoli Brandeburgenſis & Badenſis jus ſuffragii in Comitiis habent. Marchionatui Brandeburgenſi adhæret dignitas Electoralis, eaque hodiè fulget potentisſimus Dominus Fridericus Wilhelmus, Princeps omnium virtutum, Fortitudinis potisſimum laude cumulatisſimus. Hic præter Borusſiam, quam cum Polonis An. 1662. facta tranſactione, nunc nunquam ſupremus domi-

dominus obtinet, accepit etiam Pace Weſphal. aliquot Epiſcopatus, de quibus ſupra: Et in Sileſis Ducatum Croſſenſem. Ducatum Clivenſem Dynaſtias Marcæ & Ravensburg, ut & Marchiam ac Pomeraniam ulteriorem ſibi ſubjectam habet. Hic aulam ſuam ſplendidiſſimam alit Berolini, quæ Imperatoriam ſi non ſuperat, ad minimum certè eidem non cedit. In aula ſua tantum Heroem quotidiè venerantur multæ illuſtriſſimæ perſonæ, & inter eas Dn. Princeps Anhaltinus, Chriſtianus Comes de Dona, Novæ Marchiæ & Principatus Halberſtadenſis Gubernator. Otto L. B. à Schvverin, Conſiliarius Status & Præſes. Ejuſdem Sereniſſimi Electoris nunc ad Comitia Legati ſunt Generoſi Dn. Curd. Aſchen de Marenholtz & Dn. Gothofredus de Jena, rerum Germanicarum peritiſſimi Viri. Hic Princeps in matrimonio habuit Principem Auriacam, Luiſam Henricam, quæ præterito anno mortalitatem cum immortalitate commutavit. Filios ex ipſa habet duos Dn. Carolum Æmilium, & Dn. Fridericum, quos non degeneres patriæ virtutis, artis atque Martis, ulla dies arguit. Dn. Electorem autem nunc ſecunda thori pacta facere cum relicta glorioſæ memoriæ Dn. Chriſt. Ludovici vidua Dorothea Philippi Ducis Holſatiæ filia, fama eſt. Veritatem tempus dabit.

Præter hunc in Franconia ſunt etiam Marchiones, Culmbacenſis ſcilicet ac Onolsbacenſis:

cenſis. Culmbacenſis hodie eſt Sereniſſimus Dominus Chriſtianus Erneſtus qui ante quinque annos ſociali fœdere ſibi junxit Erdmundam Sophiam, moderni Electoris Saxon. unicam filiam. Quod nobile par, quia matrimonii fructus percipere hactenus non potuit, amore mutuo paulatim decreſcere videtur. Miniſtri hujus Principis primarii ſunt Dn. à Stein Cancellarius, & Dn. à Pühel, quondam à Comitia Legatus, nunc Conſiliarius intimus. Onolsbaci hodiè imperat Dominus Albertus, exſumto in partem curarum filio Domino Johanni Friderico. Hi Principes conſiliis uſi ſunt Dn. D. Johan. Limnæi, Scriptoris juris publici luculentiſſimi & celeberrimi.

[NB. Vid. addend. pag. uſque ad pagin.

Nunc de Principatuum forma. Multæ, ut in Politicis docetur, ſunt Principatuum ſpecies: Quidam ſunt meri, quidam mixti: Quidam hæreditarii, quidam verò electitii. Principatus Germaniæ ſeculares quod attinet, ſine dubio illi ſunt hæreditarii, eoque ipſo, quo quis legitimè ex Principe natus eſt, ſpem in Principatu paterno ſucceſſionis conſequitur certiſſimam: Eccleſiaſtici verò ſunt electitii, eoſque hodiè non Papa ampliùs conſtituit, ſed à Capitularibus potiſſimum Eccleſiæ Cathedralis, aliiſve, quibus hoc jus legitimo modò eſt acquiſitum. Ubi meritò

prima

prima fronte horum Catholicorum impudentiam admirari licet, quòd pallium, dignitatis ſuæ inſigne, ingenti pretio non ſolùm à Pontifice Romano redimere, ſed & primi anni fructus, non ſine prægrandi ſubditorum onere, eidem largiri ſoleant. Et licet hic error Principum Catholicorum Eccleſiaſticorum Politicus ſatis magnus ſit, & dulci noſtræ patriæ magnam afferat imbecillitatem, minoris tamen minimè ille æſtimandus venit, qui à quibuſdam Principibus Germaniæ ſecularibus committitur, quòd Ducatus atque Principatibus ſuos tam multis diviſionibus, ſubdiviſionibus, ſubdiviſionum multiplicationibus ita deforment, ut fortaſſe non vanè metuendum ſit, rem cum Principibus his eo eſſe deventuram, quo poſteri ipſorum Duces abſque Ducatu, Marchiones abſque Marchionatu, Principes abſque Principatu audiant, ni huic malo, jure primogenituræ, *multorum Regum*, *Electorum Imperii noſtri ſecularium Ducum Lunæburgenſium & Brunſvicenſium, ut & Landgraviorum Haſſiæ, &c. exempto*, in tempore medeantur. Hanc maximam unicum Imperiorum & Regnorum eſſe fundamentum, meritoque inter arcana referendam benè dixit Clapmarius *de arcanis Rerumpublic. lib. 5. cap. 2.* Quem in finem etiam Collegia Eccleſiaſtica, vulgò die hohen Stiffter/ antiquitus inſtituta & luculenter ſunt dotata, ut in illa ſecundi & poſtgeniti familiarum Illuſtrium,

præ-

præter Nobiles, recipiantur. Quæ cum Auguſtanæ Confesſionis Principibus præcludantur, poſtgenitis ſolet conſtitui Apanagium, hoc eſt, certa pecunia ſeu certi anni reditus, unde ſe familiamque Illuſtrem pro amplitudine & dignitate familiæ ſuſtentare queant: Vide Celebrem JCtum, Dn. Johan. Strauch. nuper ad Academiam Jenenſem, magno Dominorum Studioſorum emolumento, reducem, *in Diſſertat. Exot.*

Principatus, Germaniæ nunquam fuiſſe meros, ſatis indicant conventus Provinciales, qui, quando aliquid magni momenti in Ducatu eſt agendum, inſtituuntur, & vocantur Land-Tage. Et in his Status Provinciales olim decidendi ac decernendi autoritate pollebant, & hodienum in Friſia Orientali, ut & Holſatia, Ducatu Clivenſi, Juliacenſi, & Bergenſi, ubi Proceres Holland. liberis ſpiritibus adhuc ſunt afflati, & olim in Ducatu Luneburgenſi, ut eò liberior ſuffragandi aura eſſet, Conventus ſuos Provinciales ſub dio, in ſylva quadam Ambactiæ Bodenteich/ celebrarunt. Aſt hodiè pleriſque in locis ſenſim atque ſenſim, *an Principum vigilantia, an Statuum Provincialium negligentia, ego non intelligo*, in meros degenerare videntur: Nam Statibus Provincialibus in deliberationibus ad Principatus ſalutem inſtituendis, nec non Magiſtratuum & judiciorum ordinatione nulla ferè ampliùs, aut exigua admodum, eſt poteſtas, & ut plurimum non niſi dicis

gratia

gratia convocantur. In Archipalatinatu Sereniſſimus Dominus Elector hos Provinciales Status planè non agnoſcit, & libera poteſtate imperat. Neſcio itaque quid in mentem doctisſimo quidam Viro venerit, quod inter Regimen, quo Principes ſuas adminiſtrant ditiones, & regimen Imperii, quandam identitatem eſſe, ſtatuit: Regimen enim Principatuum ſecularium hodiè ferè eſt purè Monarchicum: In Imperio verò Germanico nil minus, quam Monarchicum reperire licet Regimen, ut ſuperiori à me dictum eſt Capite. Rectisſimè quidem modò laudatus Vir tres facit Statuum Provincialium Ordines. (1.) Prælatorum. (2.) Nobilium. (3.) Civitatum Municipalium. Aſt inter Electores & Prælatos, inter Nobiles & Principes, inter Ciuitates municipales & Imperiales quandam eſſe identitatem, ita ut quicquid Electores, Principes & Civitates Imperiales valeant in Imperio, id ipſum Prælati, Nobiles & Civitates municipales valeant in Principatibus Germaniæ, hoc eſt, quod, *ſalva tamen hujus magni Viri autoritate*, vehementer pernego: Nam Status Imperii in Comitiis habent votum deciſivum: Provinciales ſolùm conſultativum. Illi condomini, hi ſubditi ſunt & dicuntur. Nec dubio caret, quo modo Prælati inter Status Provinciales, maximè in illis, ubi Papiſtica viget religio, Principatibus, referantur: Status enim Provincialis revera ſubditus eſt, & ex ſuppoſitione Juris Canonici

ci omnes planè exemti ſunt Imperio Magiſtratus Civilis, & Magiſtratui Eccleſiaſtico tantum ſubjecti. Sed nemo eſt, qui in Germania ignoret, Prælatos duplicem ſuſtinere poſſe perſonam, alteram Prælati, alteram Status Provincialis, propter bona & prædia, quæ in Principis territorio poſſident. Licet igitur, quoad perſonam & munus, quod ſuſtinent Eccleſiaſticum, exemti ſint, quoad dominium tamen, quod vocant temporale, & juriſdictionem, ſi quam habent, Civilem, Principis, in cujus territorio ſunt, Imperium agnoſcere tenentur. Quanquam etiam Canones exemptionem Clericorum ſedulò urgeat, illis tamen hactenus Proteſtantes Germaniæ Principes, ſpreta Pontificis autoritate morem gerere noluere. Hinc illi apud Proteſtantes coram judice Civili conveniuntur: Onera etiam provinciæ pro rata ferre coguntur; eaque ratione inter Status Provinciales referuntur. In quibuſdam Principatibus ſunt quoque Comites, qui Provincialium Statuum numero comprehenduntur. Sic Comes Schvvartzburgicus, ratione ditionis Jlmenſis, eſt Electoris Saxon. Status provincialis. Hohenloënſis, quoad ditionem Ohrdruvianam, Duci Saxo-Gothano ſubeſt. Et Comites Waldeccii, Principum Hasſiæ ſubditi ſunt, alii aliorum, de quibus agere nunc non vacat.

Nunc de ſecundo Statuum Provincialium ordine, Nobilibus videlicet, Horum originem

à

à Nimrodo licet derivare non audeam, antiquiſſimam tamen in omni gente, & apud Germanos utiliſſimam fuiſſe conſtat. Germani enim noſtri bellicam pro fine habuiſſe videntur potentiam: ideoque Rempublicam ad militiam aptandam, & præcipuis virtutem militarem judicarunt afficiendam honoribus. Nam, quo perpetuo milite quaſi præſidiario Imperium inſtructum eſſet, ratio inventa eſt, quo eos, qui bellica virtute præſtabant, cum omni poſteritate militiæ addicerent, & quaſi conſecrarent, certis quibuſdam bonis ſolenni ceremonia illis aſſignatis, hac lege, ut ipſi eorumque poſteri maſculi iis fruantur quidem, ſed ad militarem viciſſim ſubeundam, cum uſus foret, parati eſſent. Hinc etiam hodie Nobiles generis militaris eſſe dicuntur. Et in Impp. edictis Nobiles ſolent vocari milites. Aſſignata autem præcipuè eſt Nobilibus militia equeſtris, quippe quæ & honorabilior eſt, & ſumtus majores requirit. Primis quidem temporibus Germanos rem equeſtrem parùm curaſſe, & peditatu præcipuè uſos fuiſſe, in Tacit. *de moribus Germanicis* legimus: Aſt poſtquam Francica Nobilitas Galliam occupavit, mota gentis, cui aſſociabatur, exemplo, ſtudioſus rem equeſtrem coluiſſe videtur. Hinc etiam ludi equeſtres, ut in eo militiæ genere ſe exercerent Nobiles, inſtituti ſunt, ad quos proinde plebeios admittere nefas duxere. Et adhuc hodiè, ſi bellum ingruat,
ut

ut delectum in provincia inſtituere neceſſe ſit, Nobiles plerumque cum equis adeſſe jubentur quidem: Sed domi illi gulæ inſervientes *ut plurimum* vicarios mittere ſolent equites. Nobiles autem, qui noſtro ſunt in Imperio, vel ſunt mediati, vel immediati. Immediati, quoniam hodiè inter Imperii Status non ampliùs numerantur, nec tamen ſingulos ſibi ſufficere animadverterunt, ſocietatem quandam Reipublicæ inſtar inter ſe fœdere & pacto inſtituerunt. Habent enim Senatum peculiarem, einem Ritter-Rath/ Conſilia, Ritter-Tag/ Magiſtratus Ober und Unter-Hauptmann/ Leges & Conſuetudines, aliasque Reipublicæ inſtituta, de quibus *quoad Nobilitatem Francon.* plura tradit Wehnerus *in Obſervat.* Et hi coram Principibus non niſi in cauſis feudalibus ſtare coguntur, in aliis cauſis coram ſupremis Germaniæ judiciis coveniuntur. Mediati Nobiles, qui ſcilicet Principibus ſubſunt, iiſque obedire coguntur, ſecundum Ordinem Statuum Provincialium conſtituunt, & dividuntur in Ambtſaſſen und Landſaſſen. Ambtſaſſen illi dicuntur, qui etiam coram Præfectis, Ambt-Leuten/ ſtare, & ſibi jus dicere pati coguntur. Landſaſſen verò, qui & Schrifft-oder Cantzley-Sachen dicuntur, qui non niſi Cancellaria vel ſupremo Principis judicio conveniri poſſunt. Et alicubi ſunt Nobiles, qui vocantur Gefreyete Landſaſſen/ qui à contri-

contributionibus ſunt exemti. An autem nova ac captioſa ſint, hæc vocabula, ab Aulico-Politico nuper inventa, ad eum ſcilicet finem, ut ita omnes, in Principum ſuorum territorio domicilia, caſtra vel pagos habentes Nobiles, alioſque immunes pro arbitrio exagitare & tanquam ſubditos tractare queant, ego nec intelligo, nec judico.

Nunc de tertio ordine nimirum Municipalibus Civitatibus. Conſtituuntur enim à Publiciſtis in Germania trium generum Civitates (1.) Imperiales. (2.) Provinciales. (3.) Mixtæ, Et quidem mixtas vocant eas, quæ partim Imperatorem, partium Imperii Principem recognoſcunt. Et ad hoc Civitatum mixtarum genus, Brunſvigum *ob prætenſionem Ducum Brunſvicenſium*, Herfordiam *ob prætenſionem Marchionis Brandenburgici*, Goslariam *ob prætenſionem Ducum* Brunſvicenſium *& Lunæburgenſium, &c. referunt*. Nolo autem in præſentiarum hoc Civitatum genus examinare, ne illis libertatem ſuam invidere, Principibus verò oleum in aurem inſtillare videar, Dicam ſaltem de Civitatibus Municipalibus, quarum quædam laxius, quædam verò reſtrictius à Principibus ſuis reguntur. Ante omnia controverſiam memini tractatam: An Principes municipalem Civitatem, municipiis non conſentientibus, alienare & in alterum transferre posſint? Negativam plerique JCti facto quaſi agmine acriter defendunt (1.) quod ſubditorum interſit Dominum

minum non mutari; (2.) nexum inter dominum & ſubditos diſſolvi non poſſe niſi mutuo conſenſu; (3.) quòd Princeps ſaltem ſit uſufructuarius Civitatum municipialium. Aſt cœcus eſt, qui non vidit hos JCtos loqui de Principe, qui populi voluntate regimen nactus eſt: Noſtri verò Principes, hæreditario jure cum ſuos teneant Principatus, quin civitatem municipalem, invitis & diſſentientibus municipibus, alienare, donare vel oppignorare poſſint, non eſt dubitandum. Conſentit mecum inſignis ille JCtus Wittebergenſis, Dn. Caſpar. Ziglerus *in not. ad Grot. de Jure Belli ac Pacis lib.* 1. *c.*3.§. 12. Et hæc ita in Praxi obſervari memini.

Regimen Civitatum provincialium quod attinet, ſciendum, conſtituere ſibi municipes Senatum, Magiſtratum & judicia: In quo Senatu quamvis de bello & pace, fœderibus pangendis, &c. non deliberare liceat; de aliis tamen, ad municipii utilitatem ac commodum ſpectantibus, deliberare conceſſum eſt. Abſurdus itaque eſt invalidus ille provincialium Civitatum patronus D. Balthaſ. Conrad. Zahn. *in Ichnograph. municip. c.* 35. illis, Hanſeatico federe deceptus, jus pangendorum fœderum tribuens. Ejuſmodi enim cum alia Civitate aut Principe facta conſociatio, Conjuratio potius, quàm fœdus dici meretur. Recens habemus exemplum in urbe Monaſterienſi, quæ quia cum Hollandis Anno 1658. ad ſui defenſionem

fœdus percuſſiſſet, ei omnes Politicorum, contradixerunt filii, & tandem Epiſcopus Dominus Chriſtophorus Bernhardus, armis tractandis aptior quàm Miſſis legendis, auxiliis Dominorum Electorum Eccleſiaſticorum & Palatino-Neoburgenſis adjutus, eandem obſidione cinxit, eaque occupata, frenum eidem per citadellam injecit.

Et quamvis municipia leges quaſdam, *quas municipales ſeu Statuta Dd. vocant*, ferre poſſint; eaſdem tamen, ni à Principe tacitè vel expreſsè comprobatæ fuerint, vim obligativam non accipere, *contra eundem Zahn. iterum* aſſero. Et JCti Jenenſes ad requiſitionem Senatus zu Schlaitz / teſte Dn. D. Richtero Deciſ. 3. reſponderunt: Als ſeyd ihr / jedoch mit Vorbewuſt der hohen Obrigkeit / ein ſolch Geſetz oder Statutum zu machen und zu publiciren wohl befugt von Rechts wegen. Imò, ſi in Civitate quadam leges vel conſuetudines ridiculæ aut iniquæ obtineant, illis à Principe, vi ſummæ poteſtatis repudium dari poſſe, non eſt dubitandum. Reverà enim ridiculum eſt, quod Erfordiæ nemo, cui Petrus nomen, in Senatum, teſte Seilero, admittitur: Quam legem nunc in honorem primi Pontificis, Dn. Elector Moguntinus Joh. Philippus Princeps rerum geſtarum magnitudine valdè illuſtris, ſine dubio antiquabit. Quòd verò in Statutis Lipſienſium cautum, daß alle Fiſch und Vögel auff

dem

dem Marck ſollen ſtehend verkaufft werden/ ratione minimè deſtituitur: Facit enim hoc ad ruſticorum, aliorumque præmemoratarum rerum venditorum frangendam pertinaciam. Neſcio itaque an jocosè magis, quàm injuriosè illud furtivam Venerem ſectantium axioma, illius ratio à quodam addducatur.

Quoniam autem Conſul in civitatibus primum obtinet locum à Principe, ne ad munus illud inidoneus evehatur, eſt præcavendum. *Quid enim turpius*, ait Cicero de Orat. *quàm Civilium controverſiarum cognitionem ſuſcipere eum, qui eſt legum & juris Civilis ignarus.* Et quàm ridiculè illiterati & indocti Conſules in pronunciandis & exequendis ſententiis ſe hodiè gerant, vix dici poteſt. Ne autem reliquorum Senatorum, *ultra malleum vel acum vix ſapientium*, in rebus Civilibus inſcitia & fœda ignorantia in vulgus prodeat, plerique oppidani Senatores Apollini ſuis in Curiis ſedem denegant, unicè allaborantes, ut ibidem non ſint niſi lapides ſupra lapides, & ligna ſupra ligna. Cui inſtituto medica meritò adhibenda manus. Ut tamen ad munus hoc Advocatos & cauſarum patronos advehendos ſuadeam, terret me lex prudentiſſima, à Franciſco Olivario in Galliis lata, qua cautum, ne cauſarum patroni & id genus pragmatici in Collegium Decurionum legerentur; cum ejuſmodi hominum genus haud eadem parſimonia & fide, qua mercatores & opifices publicam pecuniam

adminiſtrare comperiatur. Vid. Nobil. Dn. Le Bleu *in Inſtruct. Conſiliar. c.* 3. Elegans itaque eſt Principum inſtitutum, qui oppidanis jus eligendi Conſules alioſque Magiſtratus integrum relinquunt: Confirmatione tamen ſibi reſervata, ne quis vel municipio vel Principi iniquus id conſequatur muneris.

De re municipalium Civitatum judiciaria, non dicam, cùm ea plerumque à Principibus per Præfectos, Ampts-Männer / Ampts-Verwalter adminiſtretur. Et hoc eſt illud hominum genus, quod hactenus Principatibus Germaniæ (*probos non tango*) multum nocuit, quorum manus mille modis ſunt conſtringendæ, cum ſciant illi & excogitent quotidiè mille, extorquendi à provincialibus, ſibique proprios faciendi nummos, artificiales modos. Non paucos ſcio, qui vix trium obulorum domini. poſtquam ad hoc pervenerunt officium, Crœſo evaſerunt ditiores. Ad ſingularia nolo deſcendere. Nec à vero abludunt veteres illi Knüppelhardi:

Förſter und Jäger/
Rentmeiſter und Pfleger/
Schöſſer und Procurator,
Verwalter und Curator,
Haben nicht groſſen Lohn/
Werden doch bald reich davon/
Raht/ wie mag es zugahn?
Ihr Renck weiß nicht jedermann.

Nota-

Notabilis eſt hiſtoria, quæ in aula quadam Saxoniæ Principum primaria contigit. Ubi cum Quæſtor quidam tenuioris conditionis & ex humili vitæ genere ad quæſturæ offi-cium evectus, brevi temporis ſpatio rem ita adauxiſſet familiarem, ut primariis & fere ditiſſimis palmam præriperet, filiæ quoque virgines Nobilium inſtar veſtirentur, (*hic nota quæſtoris ſtultitiam.*) Luxum & inſolentiam hanc ægrè ferens Princeps, quæſtorem tàm citò acquiſitarum divitiarum rationem reddere juſſit: Annuo enim ſtipendio & facultatibus cognitis, tàm ingenioſum Alchymiſtam nullum unquam extitiſſe dixit, qui è tantillo conflare potuerit tantum. Hic itaque Quæſtor ad Commiſſarios converſus, illis dixit: Deus ille, qui veſtri curam egit, (nam & vos citò emerſiſtis) & mihi rem auxit familiarem: Der Gott/ der euch hat reich gemacht/ der hat mich auch geſegnet. Unde verè, quicunque fuerit, cecinit:

Tempore ſi parvo cupias diteſcere pernix,
Quæſturæ ut grandi præficiare, ſtude.

Mallem quidem plura de provincialium privilegiis diſſerere, ſed præter memorata & cereviſiarum illud ſeu jus traxandi, Brau-Gerechtigkeit/ quod ipſis competat, pauca, imò ferè nulla, ſcio. Omnibus interea Principibus, ne erga illas immodicis privilegiorum conceſſionibus faciles ſint, ſuadeo. Eorum enim compotes

 factæ,

factæ, mox ſuperbæ fiunt, ſeſeque in libertatem planè aſſerere dies noctesque laborant. Exempla habemus ante oculos. Hunc errorem Politicum noviſſimè in Comitibus Hanovienſibus reprehendit Dominus Forſtnerus, qui in *in not. ad Tacit. Annal. lib.* 11. ita *Illuſtriſſimorum*, inquit, *Comitum Hanovienſium in eo error, quòd Civitati ſuæ exulum, opibus ac divitiis affluentium receptione tantum potentiæ addiderint, ut pene non niſi precariò imperare videantur: Civitatibus enim, quæ ex privilegiorum immunitatumque prærogativis ſuperbiam atque inde contumaciam induunt, novorum Civium additione novas vires addere, aliud non eſt niſi oleum camino affundere.*

Hæc de Statibus Provincialibus. Pauca nunc dè ruſticis, quorum in omnibus Germaniæ locis non eſt eadem conditio. Alicubi enim, potiſſimum in Franconia, liberiore, alicubi verò, ut in Weſtphalia, Palatinatu, Mecklenburgico, &c. duriſſima vivunt conditione. Unde orti veriſſimi illi, quamvis minus comti, Rhythmi?

Der Kayſer Will haben ſein Treu und Pflicht/
Der Paſtor will haben ſein frey Quitt/
Der Edelmann ſpricht: Ich bin frey.
Der Jud treibt ſeine Wucherey.
Der Soldat ſpricht: Ich gebe nichts.
Der Bettelmann ſpricht: Ich hab nichts.

Da-

Da ſagt der Baur: Das muß Gott
walten.
Muß ich den dieſe all erhalten /
So geb' ich mich gedultig drein /
Und wollens alſo zu frieden ſeyn.

Ego, præter illud Tiberii nihil addo: *boni Paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* Hiſce Vale, reddeque mecum.

SOLI DEO GLORIAM,

& precare

SINGULIS GERMANIÆ
PRINCIPIBUS SALUTEM.

Addenda.

[NB. Pag. 24. poſt verba zum Secundanten erſuchet.]

ET licet hoc inficias non eam, arcanum tamen quoddam domus Auſtriacæ, quicquid alii dicant, hîc ſubeſſe credo. Credo certè Principes coram facie Imperatoris aperto Marte congredientes, Imperatori dedecos inurere: Aſt ſibi ipſis majus longè inferre damnum. Nam domus Auſtriacæ, *Hiſpaniæ hactenus conſiliis viribus ſuffultæ*, quis hodiè ignorat arcana dominationis? Sane Carolus V. ſuperiori ſeculo, & noſtro ſeculo Ferdinandus II. nihil, quod ad Monarchiam in Germania conduceret, omiſerunt, *ut omnia Politicorum ſcripta luculenter docent.* Eandem autem cum vi conſequi non potuerunt, ad fraudes, *quas Politici noſtri ſub nomine Rationis Status venditant*, devenere. Tanta enim eſt Principum Germanicorum *ſimul ſumtorum* potentiâ, ut ne Imperator cum Hiſpano & tota Pontificia cohorte iis ſubjugandis par ſit. Imperatoris itaque Ratio Status exigit, callidè potentiâ Principum Germanici minuere ac frangere. Commodius autem neque minui neque frangi poteſt, quam

quam litium & diſcordiarum ſemina ſpargendo; quibus jactis vel ad Martem vel ad Cameram eos ire neceſſe eſt. Et licet publicè velle videatur Imperator, ut in Camera lites ſuas finiant: Privatim tamen id vehementer nolle certum eſt, nihilque omittit eorum, quo Principes in Camera litigare nauſeam accipiant. Et quis quæſo hominum non tædium caperet ibidem litigare, ubi fiunt lites immortales. Quæ immortalitas litium cum in Principibus tædium Spiræ litigandi excitet, eandem ſummis promovere nititur viribus (1.) introducendo Proceſſum prolixum, (2.) nunquam augendo ſed minuendo potius Aſſeſſorum numerum. Utiliter quidem in Inſtrum. ac. & Receſſ. Imper. de. An. 1654. Aſſeſſorum numerus uſque ad 50r fuit auctus. Aſt in infelix Sol (ut loquitu Dn. Jacob. Blume) proh dolor ultra 17. ſimul hactenus nondum vidit. Hinc quilibe Princeps, qui aliquarum eſt virium, id, quod ſibi debetur, armis potiùs quàm legibus nititur conſequi. Et dum ad arma veniunt Principes, habet Imperator, quod vult, qui deinde clàm per ſuos Jeſuitas igni jam accenſo oleum affundere, & inter eos infirmiori conſiliis & auxiliis adſiſtere non quieſcit. Eo ipſo enim dum ſinguli pugnant, omnes perire aliquando neceſſe eſt. Hinc cùm ſuperioribus annis Eminentiſſimi Electores ad Rhenum, juncto Carolo Lotharingiæ Duce & Epiſcopis Spirenſi & Argent. &c. Serenisſimo Electori

ctori Palatino; Germaniæ Salomoni, de Wildfangiatu controverſiam moverent, itum eſt ad arma, & diu dubio Marte, adſpiciente *non dicam conſiliis vel armis adjuvante* Imperatore, pugnarunt, donec per Dn. Honoratum Courtin, Ludovici XIV. Regis Galliæ Conſiliarium &c. nec non Dn. Davidem Mevium, Caroli Regis Sueciæ Conſiliarium &c. Regum ſuorum nomine Heilbrunnæ fuerit deciſa Anno 1666. die 1. vel XI. Novembr. De quo laudo varia in lucem prodierunt judicia, quæ cenſuræ denuò ſubjicere neque locus neque inſtitutum meum patitur. Simili modô, cum mortuo Dn. Chriſtiano Ludovico, nunc glorioſæ memoriæ Principe Brunſuic. & Lunæburg. potentisſimi Principes Dn. Georg. Wilhel. & Dn. Joh. Friderich. de ſucceſsione litigarent, litemque gladio decidere jam in procinctu eſſent, arbitrium non Imperator, ſed duo illi modò laudati Reges, per ſuos Legatos interpoſuere. Et hoc ipſum Imperatorem noſtrum malè habuiſſe, non tam quod ipſi hoc exiſtat dedecoroſum, quam quod eo modo Ratio ſua Status eludatur, quis non animadvertit? Conſultisſimum itaque omnium eſſet noſtris Principibus, ſi judicium Camerale rectè ordinarent, & cauſarum arbitrium Cameræ, *non Marti, aut exteris Regibus, commodo ſuo intentis*, permitterent: Et ni in tempore hoc faciant, libertatis ſuæ aliquando facient jacturam, omnibus poſteris deplorandam.

[NB.

[NB. Ad pagin. 161.]

Inter ſeculares Principes ſunt etiam Landgravii, quorum olim erant quatuor: Thuringiæ, Hasſiæ, Alſatiæ & Leuchtenbergenſis. Thuringiæ Landgraviorum titulum hodiè gerunt omnes Duces Saxon. de quibus ſuprà. Leuchtenbergenſis familia in Maximil. Adamo Anno 1646. defecit, & illius dignitas in Electorem Bavariæ devoluta eſt. Landgraviatus verò Alſatiæ ab Imperio nunc planè ſeparatus, Regem Liligerum adorare cogitur, & Auſtriacis præter titulum in ipſum hodiè nihil competit. Qua ratione id factum, breviter narrabo. Cum Anno 1641. placuiſſet in Comitiis Ratisbon. Monaſterii & Oſnabrugæ cum duabus potentisſimis Coronis Galliæ & Sueciæ de pace eſſet tractandum, ibidem magno numero, ſpe pacis condendæ, convenere Legati, à quibus tamen in principio per ſeſquianni ſpatium, propter Auſtriacorum cum exteris, Catholicorum cum Proteſtantibus, & horum inter ſe multiplicem diſſenſionem, nihil promotum. Ut primum enim à Gallis Suecisque operæ Germanis collatæ tanta pretia efflagitari innotuit, plerique *juſtum* bellum *turpi* paci prætulerunt. Aſt Ferdinandus III. quotidie authoritatem ac patrimonium decreſcere, nunquam augeri, videns, pacem quacunque etiam ratione

ratione faciendam neceſſariam duxit. Itaque Alſatiæ ceſſione Gallos, Pomerania Suecos ſibi placandos ſtatuit ſpe ductus, ubi illorum deſideriis ſatisfactum fuerit, abjecturos ſpecioſum defendendæ Germanicæ libertatis colorem, ſterilemque gloriam & Ordines Imperii auxilio nudatos, denuo ſuo (*Cæſaris*) arbitrio relinquendos. Fama eſt hanc liberalitatem Bavari conſilio proveniſſe, non adeò magnam in eo jacturam eſſe demonſtrantis, ſi Alſatiæ ceſſione de ſumma rerum tranſigatur, nihil ex reliquis ditionibus Auſtriacæ delibari, & ſi Wûtembergiæ Duci ereptarum ditionum poſſeſſio (Aſchberg / Hohen Stauffen Blaawbrun) Auſtriacis ſervetur, abundè damnis ſatisfactum: Fructus Alſatiæ Suntgoviæ uſuris immenſi, æris alieni ſolvendis vix ſufficere; ad æs alienum cum Provincia in Gallos transferendum; jam quantum illud eſſe quod Lutherani Auſtriacis Poſſeſſionibus perpetuò excludantur? quodque gladio tamen aſſertu Bohemici Regni ſucceſſio, ut Fas & Jus Domui Auſtriacæ concedatur, Bavarum beneficio, affinitate, &, quod plurimum valet, neceſſitate Auſtriacis innexum: Catholicos innato in hæreticos odio metuque nullam niſi Auſtriacam amicitiam ſcire, nullumque præterquam in Auſtriacis præſidium habere. Hæreticorum ferociſſimos per bellum abſumtos, cæteros veteri novoque ære alieno, tributis, bello exhauſtos,

omni rerum gerendarum nervo deſtitui: Illo rerum ſtatu ſpem quoque recuperandi Alſatiam ſupereſſe: Licet cum vicinis de finibus regundis, Juriſdictione, ut inter accolas ſolet, Aulæ Gallicæ turbas, regni motus occaſiones fore rebus novandis: Prope Imperii ac Cæſaris arma, ac parum deeſſe, quin quatuor Villarum ſylvaticarum reſtitutione Briſacum velut obſideatur, denique motis ſemel in Gallia rebus, pro derelictis fore. Quæ quidem etiamſi non de nihilo dicta erant, tamen ſerò falſum ſe opinionis atque avidius quàm conſultius rem à ſe promotam Comes advertit: Nam neque Regibus oblata ſatisfaciebant, & ipſi ſine compoſitione illorum, quæ inter Ordines & cum Imperatore controverſa erant arma ſe nunquam poſituros proteſtati ſunt: Inde quidem facti pœnitentia ſubiit animos, ſed ſera non auſos apertè tractare, quæ tam liberaliter conceſſa, & ut Galli quidem loquuntur, obtruſa fuerant. Ergò quæ reſcindi aptè nequibant, adiectis conditionum modorumque tanquam ſubintellectorum limitibus, exitum invenire non poſſunt. Vid. Forſtner. Epiſtol. ad Scipion. Scaliger. Equitem, Monaſterii d. 17. 7. Auguſt. M. DC. XLVI. dat.

Quia verò Trautmansdorffius belli exitum invenire non poterat, dein novis propoſitis conditionibus aggreſſus eſt Gallos, ut iis placatis æmulos Suecis excitaret. Ideoque, præter Epiſcopatus Metenſem, Tullenſ. Verodu-

nenſem, jura item ad Imperium in Moyenvico & Pinarolo ſpectantia, Alſatiam, quatenus Auſtriacæ eſt ditionis, & Suntgoviam, decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum præfecturam, & in altera Rheni ripa Briſacum, præterea jus Philipsburgi præſidium habendi Gallis in perpetuum ceſſere. Quæ dum peracta, nova anxia diſcusſione inter Principes agitata quæſtio, de qua & Illuſtris Dn. Oxenſtiernius in ultimo congreſſu multis diſſeruit: Satius ne ſit Alſatiam Galliæ Regi omni feudi nexu ſolutam, an talem concedere, quæ Imperat. & Imperii Majeſtatem, ut cæteri Principes, agnoſcat? Liberam & ab Imperii corpore ſeparatam, ab Auſtriacis ſibi obtruſam Memmius & Servientius ſæpius affirmarunt: Aſt cum Imperii Principis honore ac oneribus maluiſſe præ ſe ferebant Trevir. & Saxon. Electores, quibus plerique adſtipulati, Galliæ Regem per Alſatiam feudi nexu Imperio obſtringendum eſſe, ſpecioſis moti ſunt rationibus, quarum potiores referam. (1.) Honorificum Imperio & Principibus tantæ dignitatis Regem civem atque Collegam habere: Quum glorioſum, obſcuratam ac propè emortuam Imperii Majeſtatem tanti ſplendoris acceſſione illuminari, Galliæ Regem Imperii Germanici Principem & membrum audire: ejus Majeſtatem ut cæteri obſervare, obſequium ac fidem jurejurando ſpondere, publicis legibus ſubjici, vocanti ad Comitia Imperatori pare-

re,

re, circulorum, ut vocant, Synodis intereſſe, de pace, de bello, deque communibus commodis in medium conſulere, ut tunc demum minime vanum eſſe videatur, quòd Imperator quidam Regem Regum ſe gloriatus fuerit. Neque (2.) glorioſum modò, ſed & utile Imperio atque proficuum eſſe, tantorum operum tantæque potentiæ Principem publicis neceſſitatibus obſtringere, aurum & opes ſuas inferant potius quam ſeparati habeant. Prætereà (3.) in eo præcipuè ſitam eſſe Germaniæ libertatis ſalutem judicabant ômnes, ut potentia Auſtriaca intra moderationis limites contineatur, ſuperinducto æmulo, & ubi in cujuſquam perniciem evagabitur promto vindice. Fœderatorum armis, poſt Deum, debent Germani potentiſſimæ illius magnitudinis imminutionem in eam fortunam, quam ſibi eripi fatali ſocordia paſſi fuerant: Sed non ſatis eſt ad libertatem proclamaſſe, defenſore opus eſſe & cuſtode, ut quæ feliciter parta ſint, fortiter aſſerantur. (4.) Catholici ſpecialem afferebant rationem, nimirum ſecuriſſimam religionis tutelam eſſe, habere ſui corporis membrum, cujus potentiam amicitiæ Suecicæ fiducia elactis Proteſtantium ſpiritibus opponere poſſent. Videntur enim hactenus integras Catholicorum vires, Auſtriacorum nondum attritas opes, Cæſaris adhuc florentes minas contemſiſſe, legibus, armis, jure & injuria preſſos, attamen reſurrexiſſe. Nullum ergò

 reſtare

reſtare conſilium Catholicis, quàm ut ſeneſcenti Auſtriacorum potentiæ recenti Gallorum ſubſtitutione, religioni fulcimentum, & hæreticorum cupidini obex ponatur: Suam enim dein injuriam reputare neceſſe habere. Regem Alſatiæ Landgravium, quæ cuivis Catholico intentabitur, ad quemvis Imperii motum properum adeſſe, temperamentum rebus turbatis ac conſilium, & ubi iſta fruſtrà erunt, vim pro remedio allaturum. Poſtremò niſi ea ineatur ratio, quæ Imperii legibus & judiciis Galliæ Regem ſubdat, impune erit, quicquid malè ſana cupiditas ſuaſerit, vicinos terminorum finiumque regundorum litibus exagitare in alieno, quæ volet ſibi jura arrogare, quæ in ſuo alii ſolent inficiari nova & ſuperioribus temporibus inuſitata vectigalia inſtituere, creditorum Auſtriacorum in ſe tranſlatas actiones variis cavillandi artibus, quarum iſta natio ad infamiam uſque callentiſſima habetur, eludere. Aſt præterquam quòd Galli nunquam reverà ſub titulo Landgraviatus eandem accipere cupivere, Auſtriaci non ſolùm, ſed & multi alii acriter contradixerunt. Auſtriacorum ſecreta magis, quàm profeſſa ratio erat; ideò liberam & ab Imperii juribus ſolutam Gallis tradi Alſatiam, ut ſi quando eam armis repetent Auſtriaci, non cum Imperii Principe, cui cæteri opem atque auxilium ferre ex lege publica tenerentur, ſed tanquam cum extero congrediantur: Quod num bonæ fidei congruat, aliorum judicio

dicio relinquo. Reliqui Principes prioribus Trevirenſis & Saxonis Elector. rationibus planè contrarias adducebant, iiſque egregiè ſatisfaciebant, quas nervosè etiam exhibet incomparabilis Forſtnerus in 3. Epiſtol. ad Scipion. Scaliger. de dato Monaſterii, prid. Calend. Octobr. Anno 1646. & hoc magis expedire Auſtriacis, Proteſtantibus; & ſi res exactè perpendatur. Catholicis etiam concludit. *Domus*, inquit, *Auſtriacæ magnitudinem horremus, ejus adhuc reverentia umbraque terremur: An verò hujus periculi ſi quod ſupereſt, remedium credi debet majus periculum? Pecunia, opes, virorum viriumque idem ac major apud Gallos paratus & uno amne diſcretus (quamquam nunc ne diſcretus quidem) ingens compoſita turbandi facilitas, neque velle dubitandum. Non contenti Rheno ambitionem terminare, in altera ripa Briſacum & Philipsburgum ſibi olim armis nunc fœdere vindicant, pontem ac portam rebus novandis, nec turbare volentibus materia, occaſio, prætextus deerit, conſurget inter pares æmulatio, invidia inde queſtus & lites, queque alia pacis turbamenta: denique diverſa ſacra colentibus nuſpiam ſincera fides animorumque conſenſio, & ſpem Gallus in partibus accitus nec ne, nihil intererit: quippe Princeps Imperii, nec jam peregrinitatis odio prægravatus Imperii rebus veluti ſuo jure miſcebitur religio bonum publicum afflictorum tutela obtentui, & inter alienas diſcordias invaleſcere & ad majorem ſpem graſſari poten-*

tiam major cura & ſtudium erit. Nam jam inter Principis conditionem & æqualitatem conſiſtere volet, Regis nomen & opes aliquid majus requirunt & Cæſareæ dignitatis faſtigium nemini magis, quam ſibi convenire arbitrabitur, ad quod arte, vi, armis enitetur: Ita nunquam non miſera erit Germania, & magis alii domini quàm alia conditio, quæ Auſtriacis ſervierat, Gallis ſerviet. Ea quidem ratio, qua Catholicis favere videtur, ex adverſo Proteſtantium ſecuritati inimiciſſima. An non ideò nullis Catholici periculis expoſiti erunt? nam certiſſimum eſt, nullos ambitioni limites neque ſacros neque profanos obſtare, omnia perrumpit, disjicit, calcat; nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem ſibi occupavit, quin religionis & libertatis ſpecioſa verba uſurparet. Excepta fuerat olim publicè reducta Ognata Comitis Hiſpani apud Cæſarem Oratoris vox, æquo longiores Germanorum Epiſcoporum togas, eoque reſecandas eſſe. An alios ſenſus Gallorum eſſe putamus, apud quos Rex Epiſcopos facit, & de Eccleſiarum bonis propè eadem qua de ſuis libertate diſponit, quorum haud exigua pars profaniſſimorum hominum aulæ aſſeclarum perditiſſimo luxui inſervit: Breviter Galli ambitionis ingenio impulſi, occaſione incitati, proſperitate ſuperiorum temporum elati, omnibus augendæ potentiæ adminiculis inſtructi, modeſtiæ nunquam litabunt. Denique parva in eo cura, ſi Imperii extrema dehoneſtentur: Glorioſum eſſe non poteſt, quod

tanto

tanto cum periculo conjunctum eſt, & ſecuritas inanibus potior habenda. Arcana Imperii in Comitiis & alibi Gallo prodi, non eſt è re Germaniæ, Cæterum onera Imperii in futurum ſubire quis coget? tantum abeſt libertatis in hoc conſilio cuſtodiam eſſe, ut acrius ſervitium immineat Catholicis æque ac Proteſtantibus. Et hiſce omnibus meum album adjicio calculum. Interea ſatis mirari non poſſum, quod Galli hoc medium Coronæ Imperatoriæ conſequendæ aptiſſimum è manibus dimiſerint. Sanè id ipſum, quod Monaſterii aſpernati ſunt, omnibus viribus quærere hodie videntur.

Haſſiæ Landgravii ſub Imperio ſuo tenent latam ditionem, ſed non ubique fertilem neque omnium rerum, ad vitam neceſſariarum procreatricem. Illi tamen tantum abeſt ut ulli Germanicorum Principum potentia ſecundi ſint, iis omnibus palmam præripere videntur. Et Wilhelmus V. poſt pacem Pragenſem ſolus inter Germanicos Principes contra Imperatorem arma feliciſsimè cum exteris confœderatis geſſit, eoque mortuo Sereniſſima ipſius Conjux Amelia Eliſabetha, Comitiſſa Hanoviæ Müntzebergenſis pro filio Wilhelmo VI. fortiter excubuit, ut in proverbium apud Germanos abierit: Es weren anjetzo drey Damen/ als die Koningin in Franckreich/ Schweden und die Landgrafin in Heſſen/ die den Römiſchen Keyſer faſt die

die Cron vom Haupt ab courtiſirt. Geſſit quoque bellum adverſus Darmſtattinos, quæ tamen controverſia poſteà Anno 1648. interpoſitione Dn. Erneſti Saxo-Gothani Principis deciſa. Quid huic Heroinæ in pace Weſtphal. ſatisfactionis loco ſit traditum, ex Inſtrument. Pacis cognoſcere poteris. Scinduntur Landgravii Haſſiæ in duas lineas, Caſſellanam, quæ Reformatis, & Darmſtattinam, quæ proteſtantibus adhæret. Wilhelmus VI. Caſſellenſium Princeps Anno 1649. matrimonio ſibi junxit Hedvvig. Sophiam Georgii Wilhelmi, Electoris Brandeburg. filiam, ex qua Anno 1650. genuit Wilhelm. VII. qui nunc, Patre Anno 1663. mortuo, ſub Sereniſſimæ matris tutela adoleſcit, &, ut fama conſtans eſt, ad magnum fortunæ cultum excitatur. Præcipui ejus Miniſtri & à rerum Civilium peritia potiſſimum commendati ſunt generoſi Domini à Dalvvig. Dn. à Döringberg / Dominus à Dauber qui colloquio, à Theologis Marpurgenſibus & Rintelenſibus habito, nomine Principis, interfuerunt.

[NB. Ad pagin. 157.]

Holſatiæ Duces poſſident ditionem commerciis maritimis aptisſimam ac florentiſſimam, & ob hoc ſatis opulentam: Ac licet ea quædam ad benè vivendum non producat, ob commoditatem tamen maris utrinque alluentis

tis eundem defectum facili negotio ſupplere poſſunt. Scinduntur hi Principes in duas lineas, Gottorpienſem & Schleſvvicenſem. Schleſvvicenſis à Germania non dependet: Gottorpienſis verò membrum Imperii hodiernum exiſtit, licet in Imperii Comitiis rarò appareat. Nam poſtquam hi à Friderico III. in Ducum adſciti numerum, ultimo loco non amplius haberi, aliiſque potentia minoribus anteferri voluerunt, quibuſcum ſe reliqui Principes opponerent, Comitia amplius frequentare noluerunt. Petiit quidem à Ferdinando I. hujus litis deciſionem Chriſtianus III. aſt eam, licet variis agitata fuerit contentionibus ne hodiè quidem ſatis conſopitam eſſe ſcribunt Publiciſtæ. Erexit Anno 1665. Chilonii Academiam Serenisſimus Dn. Albertus Erneſtus, Princeps nulla non virtute inſtructus, quæ nomen tanti beneficientisſimi Principis ab omni vindicabit interitu. Ipſi à conſiliis eſt Dominus Adolph. Kielmann à Kielmanns Eck / JCtus & Cancellarius, vivum fortunæ & eruditionis exemplar. Ratione Holſatiæ inter Germaniæ Principes refertur quoque potentisſimus Rex Daniæ, Dominus Fridericus III. in eo valdè memorandus, quod Daniæ Regnum, antea electitium, nupero bello Suecico hæreditarium fecerit.

Ex Epiſcopatibus plerique qui in Proteſtantium & Reformatorum manus pervenere, Ducatus Seculares effecti ſunt. Inter quos

de Ducatu Bremenſi & Verdenſi quædam ſaltem dicam: Horum enim reſpectu, Sueciæ Rex inter Germaniæ Duces numeratur. Ægerrimè quidem adduci poterunt Status Imperii, ut hi Epiſcopatus, Suecorum præda fierent. Catholici dicebant: Eſſe maximè profanæ atque impiæ novitatis, quòd Sueci hos Epiſcopatus, Deo ſanè à Majoribus Chriſtianis dicatos, ab omni religionis & divini cultus vinculo liberos ſibi aſſererent. Proteſtantes objiciebant: Non pacem hanc eſſe, ſed ſervitutem: Non Imperii reſtitutionem, ſed dilacerationem: Non hoſtibus arma adimi, ſed ad majora gradum ſterni & nova promovendæ dominationis inſtrumenta ab incautis Germanis præberi. Sed Suecorum arma tàm felicia extiterunt, ut in nihil non, Suecis proficuum, conſentire coacti fuerint Principes Germaniæ. Quod autem nexu feudali potius ligatam, quam ſolutam accipere maluerint Sueci, id ipſorum Ratio Status exigebat, ut ex iis patebit, quæ infrà de Landgraviatu Alſatiæ, Gallis conceſſo, dicam. Animadverterunt etiam hoc Status Imperii & multis contradixerunt. Aſt regeſſere Sueci, hoc ipſis ſine injuria denegari non poſſe; Eſſe membra Imperii Regem Hiſpaniæ, & Daniæ, cur non & Regem Sueciæ? Hodiè itaque omnibus juribus fruitur Rex Sueciæ, ratione dictorum Ducatuum, quibus fruitur alius Imperii Princeps. De Ducibus Lotharingiæ & Sabaudiæ nihil dicam,

cam, cum Principes Germanici Imperii ſint & non ſint. Nec de illis Principibus, qui ab Imperatoribus Ferdinando II. & III. creati ſunt, quorum plurimi vel nulla vel pauca bona in Germania habent.

[NB. Ad pagin. 28.]

Hinc cum magni in Imperio noſtro motus gliſcere inciperent, Anno 1658. ad firmandum & defendendum Inſtrumentum Pacis, inierunt fœdus in triennium cum Rege Galliæ & Sueciæ Reverendiſſimi Domini Electores Eccleſiaſtici, Epiſcopus Monaſterienſis, Sereniſſimi Principes Dominus Philippus Wilhelmus, Dux Palatino-Neoburgicus, Dominus Auguſtus, Dominus Chriſtianus Ludovicus, Dominus Georgius Wilhelmus, Duces Brunſvicenſes & Lunæburgenſes, Dominus Wilhelmus Hasſiæ Landgravius. Veriſsimè itaque ſcripſit Illuſtris Duc de Rohan, exigere Principum Germanicorum rationem Status cum exteris Regibus fœdera inire. Aſt cautè cum iis agant, ne aliquando defenſores exiſtant oppreſſores.

[NB. Ad pagin. 58.]

Hinc non ita pridem cogitavit Princeps quidam magni nominis ac prudentiæ de regimine Academiæ ſuæ mutando, & ambulatorio

torio Rectoris officio in perpetuum transformando: Quod, licet à quibuſdam pesſimè fuerit traductum, principiis tamen Politicis haud incongruum fuiſſe; arguit egregius locus Ariſtotelis *lib.* 2. *Polit. cap.* 1. Satius, inquit, eſſe eoſdem ſupremum habere Imperium, ſi fieri poteſt. Aſt in Rebuspublicis hoc citra varia incommoda fieri non poteſt, quæ tamen cum non ſint in regimine Academ. metuenda, conſultisſimum & ego judico, ſi uni perſonæ juſtæ ætatis, humanitatis ac gravitatis, *hæc duo conjunctim requiruntur, quorum uno abſente, vel contemtibilis, vel odioſus exiſtit*, laude præſtanti, nec non morum juvenum, Nobilium, pauperum & divitum accuratam habenti cognitionem, ac prudentia ſeditiones præcavendi, aut forſitan jam ortas componendi, pollenti, Rectoris perpetui munus imponatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Carlo di Napoli inizio al luogo
della villa[illegible]